CORONA VIRTVTVM PRINCIPE DIGNARVM,

Ex varijs Philosophorum, Historicorum, Oratorum, & Poetarum floribus contexta, & concinnata,

In vsum D. CAROLI [illegible] tannia, & Hiberniæ Pr[illegible] strissimi, Cornubiæ, Eb[illegible] & Albaniæ Ducis.

Cui adiuncta sunt de vita, & [illegible] tibus duorum ANTONINORVM PII, & MARCI maximè memorabilia è varijs historicis excerpta.

LONDINI.
Apud *Iodocum Billium*. 1617.

Demetr. Philo. in Sen. 7. de Benef.

Plus proderit, sit pauca præcepta sapientiæ teneas, sed illa in promptu tibi, & in vsu sint, quam si multa quidem didiceris; sed illa non habeas ad manum.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI.

MVLTA in te, Princeps Illustrissime, excelsæ ac præclaræ indolis indicia lubens & gratulabundus agnosco: ingenium præstans, generosum animum, candorem & benignitatem vel in ipso tuo vultu elucentem. Sed quæcunque adhuc in te laudari possunt virtutum igniculi aut semina potius, quàm virtutes existimentur. Nam ipsæ vt in te floreant, fructusq; suos proferant, matureſcente tibi cum ætate iudicio, & diligenti animi cultura cum gratia cœlesti coniuncta opus est. Neque vero desunt,

qui eundem diligenter excolant. Nam præter eos, quorum fidei ac prudentiæ educandi & instituendi tui cura demandata est (qui summa cum laude suo munere funguntur) Patris tui Sereniſſimi tam voce quàm scripto te monita erudiunt: præsertim verè aureus ille liber de Regno, tanto Rege authore dignus: qui quanti passim ab omnibus fiat, eiusdem in plures linguas versio, & frequens editio satis superque testatur.

Post illum ego si tibi in hoc genere meum aliquid offerrem, ne & impudens & imprudens optimè actū agerem pessimè, meq; cunctis meritò deridendum propinarem.

. Cæterùm cum ad virtutem in te promouendam operam

peram quoque meam conferre cupiam, nec de meo quicquam te dignum mihi ſuppetat, virtutum Principe dignarum coronam, è varijs optimorum authorum floribus in vſum tuum contextam & concinnatam tibi offero.

Cui maximè memorabilia de vita & moribus duorum Principum (quorum alter alteri, vt in Imperio, ſic in omni virtutum genere ſucceſſit) attexere viſum eſt operæpretium; vt vnà & monitis, & exemplis erudiri poſſis.

E ſacris literis, & Patrum ſcriptis quæ huc faciunt Theologis excerpenda relinquo; cum ipſe ſacra illotis (quod aiunt) manibus attingere non auſum.

Quod ſi virtutem Principi

tantopere commendent tam ſententijs ſuis authores hic citati, quàm exemplo Principes à me commemorati, vtrique fere omnes non niſi naturæ ac rationis lumine illuſtrati, quanto ſtudio Princeps, cui Religionis etiam Chriſtianæ lux affulſit, virtutem par eſt amplectatur? Vnde operam hãc meam tibi ad virtutem incitamento aliqua ex parte futuram ſpero. Hanc vero, & quamuis aliam grati animi ſignificationem debere me profiteor cùm Patris tui ſereniſſimi in me fauori, ac de me iudicio (qui octodecim abhinc annis me in familiam Aulicam admiſſum, & benigne ſubleuatum poſtea & Illuſtriſſimo tuo fratri felicis memoriæ, & tibi ipſi in ſtudijs aliquam

operam

operam nauare voluit) tum etiam tuæ in me ab infantia tua perpetuæ benignitati. Si opella hæc mea ad animi tui cultum vsui tibi fuerit, & tibi, & Reip. magnopere gratulabor. Faxit Deus vt votis meis succeſſus reſpondeat, & vt virtute, ac felicitate Principum optimo & feliciſſimo cuique par euadas.

Celſitudini tuæ,

AEternùm deuinctus ac deuotus famulus, & cliens.

GVALTERVS QVINNVS.

Eidem Illustrissimo Principi.

FLoribus è varijs, en, hæc tibi texta corolla est,
CAROLE, Regnorum spesq; decusq; trium.
Hac redimitus eris virtutum insignis honore;
Quæ cumulent varijs teque, tuosq, bonis.
Teque hæc si decoret nunc æui in flore corona;
Regali ornabit Laurea iuncta viram.

Ad Lectorem.

EXRunt fortaſsis qui ſuper-vacuam operam hanc meam, poſt illud à IVSTO LIPSIO *in hoc ipſo genere ingenio, iudicio, & doctrina ſingulari Politicorum elaboratum opus*, exiſtimabunt. *Nam & illum dicent de virtute Principis egiſſe. Egiſſe quidem agnoſco, ſed vt de vna tantum parte Politicorum: ac proinde viſum illi ſatis, ſi pauca tantum libaret ex variis authoribus, quæ virtutem Principi commendarent. Cum autem quod illi perexigua pars argumenti*

ti fuerit totum mihi sit, danda fuit opera, vt vberius, ac pleniori (quod aiunt) manu flores hinc, inde legerem in vsum Principis nostri virtutum documentis diligentius erudiendi. Quid hac in re præstiterim, aliorum esto iudicium. Quòd autem non de virtute tantum, sed etiam de vitio in genere egerim, cum de singulis tãtum virtutibus, non de vitijs seorsim agam, ratio est, quod materiam ad prius illud vtcúnque præstandum authores mihi suppeditauerint, ad posterius hoc non item. Nec etiam apposite, aut concinne de singulis virtutibus agere potui, quin &

con-

conjunctim cum illis de vitijs mihi fuerit agendũ. De meo nihil nisi connexiones, tanquam Cæmentum quoddam, ad vinciendas inter se Authorum sententias adhibui, easq; quàm potui parcissimè, operam dans vbicunq; commodè licuit, vt id Authores ipsi facerent. Græcorum sententias duntaxat latiné redditas latinis attexui; cum & breuitati studerem, & ad eum quem proposui mihi finem id sufficeret. Is autem non alius est, quàm Principis nostri, in eoq; Reip. bonum: quod vtriq; mecum à Deo precatus, Vale.

Corona huius Capita.

De virtute in genere. Pag. 1.
De Vitio in genere. p. 16.
De Religione. p. 32.
De Prudentia. p. 38.
De Iustitia. p. 64.
De Clementia. p. 76.
De Fide. p. 89.
De Modestia. p. 96.
De Liberalitate. p. 107.
De Temperantia. p. 115.
De Fortitudine. p. 126.

CORONA VIRTVTVM PRINCIPE DIGNARVM.

De Virtute in genere.

PRincipem, quò quo alijs maior est, eò melior esse debet, ad virtutem amplectendã merito inuitent cum virtutis ipsius præstantia & pulchritudo, tum etiam felicitas illi, ac subditis ei populis inde proueniens.

Quod ad præstantiam virtutis attinet: Virtus est proprium hominis bonum. Tac. 4 hist.

Sen. ep. 71. *Immo vero &* vnum bonum est tus: nullum certe sine virtute: & virtus in parte nostri meliori, rationali, posita est.

Idem ep. 76. *Vnde* validiorem animum, & celsiorem, & ampliorem facit tus.

Auth. ad Heren. Solaq; virtus in sua potestate: omnia præter eam subiecta fortunæ dominanti.

Salust. Catil. *Etiam* diuitiarum & formæ gloria fluxa, atque fragilis est: virtus clara æternaque habetur.

Plaut. Amphit. *Quamobrem* virtus omnibus rebus anteit profecto.

Cic. de Amic. *Pulchritudo etiam virtutis ex eo patet, quod* virtute nihil amabilius sit; nihil quòd magis alliciat homines ad diligendum; quippe cum propter virtutem, & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.

Sen. 4. de Benefic. *Quinetiam* placet suapte natura, adeoque gratiosa virtus est, vt insitum etiam sit malis probare meliora.

Merito igitur

Horat. 3. car. ad. 2. Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus.

Ad

Ad felicitatem Principis ipsius quod attinet.

Omnia adsunt bona, quem penes est virtus. *Plaut. Amphit.*

Si diuitias spectet; quanti est æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur, qua præditi qui sunt soli sunt diuites: soli enim possident res & fructuosas, & sempiternas. *Cic. Parad. 6.*

Si delectationem & tranquilitatem animi; maior est virtutis iucunditas, quàm voluptas, quæ percipitur ex libidine & cupiditate. *Cic. 3. de fin. Ver.*

Sola enim virtus præstat gaudium perpetuum, & securum. *Sen. ep. 27.*

——— Semita certe
Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ. *Iuuen. Sat. 10*

Si decus, & gloriam; gloria virtutem tanquam vmbra sequitur. *Cic. 1. Tusc.*

———Et famam extendere factis
Hoc virtutis opus. *Virg. 10. Aeneid.*

Si bonorum externorum affluentiam: quæ homines arant, nauigant, ædificant virtuti omnia parent. *Sallust. Catil.*

Cic. de Amic. *Deniq;* si quod optimum maximumq; est id volumus adipisci, virtuti opera danda est, sine qua nullam rem expetendam consequi possumus

Subditorum etiam causa virtus est Principi amplectenda.

Seneca 2. de Clem. Nam a capite bona valetudo. Inde omnia vegeta sunt, atque erecta, aut languore demissa.

Xenoph. in memorab. Socr. *Ideo* Rex eligitur, non vt sese moliter curet, sed vt per ipsum ij qui elegerunt bene beateq; agant.

Cic. de Rep. *Et* moderatori Reip. beata ciuium vita proposita est, vt ea opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.

Plin. Paneg. *Hinc Traianus*, non aliter pro se vota publica suscipi voluit, quam si bene Remp. & ex vtilitate omnium rexisset.

Spart. in Hadr. *Et eiusdem successor* Hadrianus in concione & senatu sæpe dixit, ita se Remp. gesturum, vt sciret populi rem esse, non propriam.

Sen. Consol. ad Polyb. *Talem se reipsa præstat bonus princeps.*

Omnium *enim* somnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor,

labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio.

Illius verò Principis magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse quam pro se sciunt. *Ibidem.*

Quocirca

Tu ciuem, patremq; geras: tu consule cunctis, *Claud. 4. Consul. Honor.*

Non tibi: nec tua te moueant sed publica vota.

Exemplo etiam suis Princeps præeat.

Nec enim tam imperio subditis opus, quàm exemplo. *Plin. Paneg.*

Nam quales in Repub. Principes sunt, tales reliqui solent esse omnes. *Cic. epist. 3. ad Lent.*

Etiam obsequium in Principem, & æmulandi amor validiora quàm pœna ex legibus, aut metus. *Tacit. annal.*

Et rectè facere Princeps suos faciendo docet. *Vell. lib. 2.*

Siquidem flexibiles quamcunque in partem ducimur à Principe, atque (vt ita dicam) sequaces sumus. Huic enim cari, huic probati esse cupimus, quod frustra speraverint dissimiles; eoque obsequij continuatione peruenimus, vt prope omnes homines vnius moribus viuamus. Porro non *Plin. Paneg.*

tam siniſtrè conſtitutum eſt, vt qui malum Principem poſſimus, bonum non poſſimus imitari.

Itaque

Senec. Thyeſt. Rex velit honeſta: nemo non eadem volet.

Et

——Componitur orbis
Claud. 5. Conſul. Honor. Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

IAm monendus eſt Princeps de ijs quæ virtuti inſerendæ, & augendæ inſeruiunt: cuiuſmodi eſt primum recta educatio.

Sen de Mor. *Nam* educatio, & diſciplina mores facit, & id ſapit vnuſquiſq; quod didicit.

Senec. 2. de Ira. Educatio *verò* maximam diligentiam, plurimumque profuturam deſiderat: facile eſt *enim* teneros adhuc animos componere: difficulter reciduntur vitia, quæ nobiſcum creuerunt.

Plutar. in Moral. *Nam* vt terra, quò melior eſt natura, hoc magis corrumpitur, ſi negligatur: ita ingenia, niſi recte excolantur,

lantur, quò sunt feliciora, eò pluribus vitijs obducuntur.

Itaque vt Agricolæ vallos apponunt arbusculis, quo recte crescant: ita qui instituit addat monita, & præcepta ingenijs salubria, ne deflectant, in vitium. *Ibidem.*

Facile *enim* tenera conciliantur ingenia ad honesti, rectiq; amorem. *Sen. ep. 90.*

Generosa *vero* indoles, si accedat institutio, magno bono est patriæ: sin ad vitium degeneret, magnum adfert malum. *Plutar. in Themistoc.*

Et sane studia quæ sunt in adolescentia, tanquam in herbis significant quæ virtutis maturitas, & quænam fruges industriæ sint futuræ. *Cic. pro Calio.*

Nam in optimis quoque, antequam erudias, virtutis materia, non virtus est. *Sen. ep. 90.*

Doctrina sed vim promouet insitã,
Rectiq; cultus pectora roborant. *Horat. 4. Car. Od. 4.*

Ergo

——Nunc adhibe puro *Horat. 1. ep. 2.*
Pectore verba, puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Pers. Sat. 3. Vdum & molle lutum es; nunc, nunc properandus, & acri fingendus sine fine rota.

Virtutem etiam in adolescente promouet labor & diligentia.

Sen. de vita Beata. Nulla est enim, sine labore virtus.

Cic. de Amic. Nam si laborem fugimus, virtus fugienda est, quæ necesse est vt cum aliquo labore res sibi contrarias aspernetur & oderit; vt bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignauiam fortitudo.

Cato Maior apud Gellium. Sed cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborem recte feceritis, labor ille cito recedet à vobis, benefactum à vobis dum viuitis non recedet. At si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit.

Lucan. lib. 4. *Etiam* labor & voluptas dissimillima natura, societate quadam naturali inter se iunguntur.

Sen. epist. 31. Et generosos animos labor nutrit. *Hinc*

Lucan. lib. 9. Lætus est, magno quoties sibi constat, honestum.

Itaque

Qui

Qui cupit optatam curſu contingere metam, *Horat.*
Multa tulit, fecitque puer, ſudauit, & alſit.

Et qui è nuce nucleos eſſe vult, frangit nucem. *Plaut. Curc.*

——— Nam nil ſine magno *Horat. 1. Sat. 9.*
Vita labore dedit mortalibus.
Nec eſt ad aſtra mollis è terris via. *Senec. Herc. Fur.*
Et
Virtutem voluere dij ſudore parari: *Lucil. & Heſiod. apud Stob.*
Arduus eſt ad eam longuſque per ardua tractus;
Aſper & eſt primùm: ſed vbi alta cacumina tanges,
Fit facilis quæ dura prius fuit inclita virtus.

Quamuis autem difficilia quæ pulchra. *Adag.*

Attamen volenti nil difficile.

Et ſane facilis eſt ad beatam vitam via: inite modo bonis auſpicijs, ipſis dijs bene iuuantibus. Multo difficilius eſt facere quæ facitis. Quid enim quiete otioſius animi? quid ira laborioſius? quid clementia remiſſius? quid crudelitate negotioſius? Vacat pudicitia: libido occupatiſſima eſt. *Adag. Senec. 2. de Ira.*

Omnium denique virtutum tutela facilior est: vitia magno coluntur.

Consuetudo autem recte agendi laborem minuit, & virtutem auget.

Liu. 35. Consuetudine leuior labor fit.

Cic. 2. Tusc. *Et* ferre laborem, contemnere vulnus consuetudo docet.

Petron. Sat. *Etiam* potest bouem ferre, qui vitulum sustulerit.

Cic. Offic. Nil *vero* magna laude dignum sine vsu exercitare, & sine experientia perficere possumus.

Cur. 1. 6 Feritatem *etiam* mitior consuetudo permulcet.

Salust. Iugurt Et illi qui omnem ætatem in optimis artibus egit, benefacere ex consuetudine in naturam vertit.

Pacat Panег. ad Theodos. Gaudent diuina perpetuo motu, & iugi agitatione se vegetat animus.

l. 2. Offic. Virtutis enim laus omnis in actione consistit.

Sen. ep. 94. *Et* pars virtutis disciplina constat; pars exercitatione. Et discas oportet, & quod didicisti agendo confirmes.

Idem ep. 90. *Nam* virtus non contingit nisi animo instituto, & edocto, & ad summum assidua exercitatione perducto.

Nil

——Nil consuetudine maius;
Quam tu dum capias, tædia nulla fuge. *Ouid. Art.*

——Primò taurus detrectat aratra;
Post venit assueto mollis ad arua iugo. *Propert. 2. Eleg. 3.*

——Adeo à teneris assuescere multum est. *Virgil. 2. Georg.*
Ergo quod male fers, assuesce, feres. *Ouid. 2. Art.*
——Nam morem fecerit vsus. *Idem. Met. 2.*

AD virtutem etiam augendam, & conseruandam multum facit bonorum societas & conuersatio.

Nam nulla res magis animis honesta induit, dubiosq; & in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quam bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, adspici frequenter. *Sen. ep. 94.*

Et si quid in aliquibus ex sordida conuersatione seruile est, bonorum conuictus excutiet. *Idem ep. 33.*

Vt *autem* in pestilentia cauendum est, ne corruptis iam corporibus & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipso *Idem de Tranquil.*

ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingenijs, dabimus operam, vt quàm minime inquinatos assumamus.

Idem 3. de Ira. *Enim vero* non tam valetudini profuit vtilis regio, & salubrius cœlum, quàm animis parum firmis in turba meliorum versari.

Ergo

Iuuen Sat 2. Aspice quid faciant commercia.

Et cum his versare, qui te meliorem facturi sunt.

Senec. ep. 7.

Cic. 3. Act. in Ver. Nec ad amicitiam tuam faciliorem aditum habeat nequitia, & audacia, quam virtus, & integritas.

Comin. c. 33. Nullum autem maius indicium bonæ mentis Princeps potest ostendere quàm vt adiungat sibi viros virtute, & fama celebres, iisque familiariter vtatur. Nam omnes statim iudicabunt eum talem esse, quales ij qui apud illum.

Et quoq; virtutem in animo generoso amor laudis, & gloriæ.

Cic. pro Arch. init. Trahimur *enim* omnes laudis studio; & optimus quisq; maxime gloria ducitur.

Val. Max. 2. cap. 6. *Et sane*, virtutis vberrimum alimentum est honos.

Nam

Nam vbi gloriam dempseris, ipsa per se virtus amara atque aspera est. *Salust. ad Cæs.*

Et contemptu famæ contemnuntur virtutes. *Tacit. 4. Annal.*

Recte igitur dicebat Cato, eos à iuuentute virtutem auferre, qui virtutem honore fraudarent. *Apud Plut. in Apoph.*

Etiam pueri afficiuntur lætitia, cum vicerint. Vt pudet victos? vt se accusari nolunt? quàm cupiunt laudari? Quos illi labores non perferunt, vt æqualium principes sint? *Cic. 3. de Fin.*

Themistocli *vero*, quem Miltiadis trophæum non patiebatur (vt ipse dicebat) aut dormire, aut cessare, gloriæ studium excussit amorem voluptatum, clauum (vt aiunt) clauo. *Plutarch. in Apoph.*

Et Scipio Africanus Socraticum Xenophontem in manibus semper habebat; cuius in primis laudabat illud, quod diceret eosdem labores non æquè esse graues Imperatori, & militi; quod ipse honos laborem Imperatorum faceret leuiorem. *Cic. 2. Tusc.*

Arripuit, traxitque virum, fax mentis honestæ,
Gloria, *Sil. Ital. 8*

laus

Ouid.2.de pont.

——Laudataque virtus
Creſcit; & immenſum gloria calcar habet.

Propert.l.2.

Magnum iter aſcendo: ſed dat mihi gloria vires:
Non iuuat ex facili lecta corona iugo.

AD virtutem etiam excitatur Princeps virorum illuſtrium, maiorum præcipue ſuorum exemplis.

Senec.ep.6.

Nam longum iter eſt per præcepta: breue, & efficax per exempla

Plutarch.in Timol.

Igitur tanquam in ſpeculo orna, & compone vitam tuam ad alienas virtutes.

Val.Max.l.2

Maiores natu in conuiuijs ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſo pangebant, quò ad ea imitanda virtutem iuuenum alacriorem redderent.

Cic.pro Rab.

Hoc *autem* generi hominum prope à natura datum eſt, vt qua in familia laus aliqua floruerit, hanc fere qui ſunt eius ſtirpis cupidiſſime proſequantur.

Plin.Iun. l.3.ep.4.

Honeſtiſſimum enim eſt maiorum veſtigia

vestigia sequi, si modo recto itinere præcesserint.

Hinc Aeneas Ascanium suum sic hortatur.

Disce, puer, virtutem ex me, verumq; laborem. *Virg. 2. Aeneid.*

Et alibi:

Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles *Idem, 3. Aen.*

Et pater Æneas, & auunculus excitat Hector?

DE

DE VITIO IN GENERE.

Virtus est vitium fugere:

Horat. 1. epist. 1.

Nde, vt Princeps illius fiat compos, ab huius contagione necesse est diligentissime sibi cauat. Quamobrem cum oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcant, eodem ordine ac modo, quo de virtute actum eſt, de vitio agetur: Et primo quidem loco de illius deformitate, ac de infelicitate, quæ tum in Principem, tum in Rempublicam ab eodem derivatur.

Guid. 3. de Offic.

Quod ad vitij deformitatem attinet; an eſt vllum maius malum turpitudine? quæ ſi in deformitate corporis habet aliquid offenſionis, quanta illa deprauatio, & fœditas turpificati animi debet videri?

Boet. 4. de conſol. proſ.

Quinetiam vitioſi, tametſi humani corporis ſpeciem ſeruent, in belluas tamen animorum qualitate mutantur.

Vitioſi

Vitiosi autem Principes ipsius infelicitas ex eo patet, quòd quemadmodum cum virtute omne vitæ genus molestiæ expers est, & iucundum: ità vitium ijs etiam quæ splendida videntur, & pretiosa, & veneranda, si admisceatur, molesta facit, & fastidiosa, & ingrata possidentibus. *Plutarch. de Virt. & Vitio.*

Quamobrem.

Nemo malus felix. *Iuuen. Sa. 4.*

Et improbo nemini bene esse potest; *Cic. Parad.*

Aut in Regno: namque

——— vbi non est pudor, *Sen. Thyest.*

Nec cura iuris, sanctitas, pietas, fides,

Instabile Regnum est.

Aut in fama: Siquidem

Perlucet omne Regiæ vitium domus. *Sen. Agam.*

Et

Omne animi vitium tantò conspectius in se *Iuuen. Sat. 8.*

Crimen habet, quantò maior qui peccat habetur.

Vnde malorum Regum infamia, atque odium sæculis traditur. *Sen. 1. de Clem.*

Aut in vita. Tam multis enim periculis petetur, quàm multorum ipse periculum est. *Sen. 1. de Clem.*

Nec

Ibidem. Nec illas ipſas manus, quibus ſe

Tacit. 1. hiſt. commiſit, ſecurus adſpiciet.

Et Neronem longa Cæſarum ſerie tumentem, non Vindex cum inermi prouincia, aut Galba cum vna legione, ſed ſua immanitas, ſua luxuria ceruicibus publicis depulerunt.

Aut denique in pectore, & conſcientia:

Saluſt. Cat. Animus *enim* impurus, dijs hominibuſque infeſtus, neque vigilijs, neq; quietibus ſedari poteſt.

Infelicitatem hanc literis ſuis ad Senatum Tiberius (alioqui ſummus ſimulandi, & diſſimulandi artifex) haud diſſimulanter, cogente conſcientia, ſic expreſſit.

Tacit. 6. Annal. Quid ſcribam vobis, Patres conſcripti; aut quomodo ſcribam; aut quid omnino non ſcribam; hoc tempore, dij me deæque peius perdant, quàm perire quotidie ſentio, ſi ſcio?

Adeò, facinora, atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant.

Neq; fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt; ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus, & ictus, quando vt corpora verbe-

verberibus, ita sæuitia, libidine, malis consultis animus dilaceretur.

Quippe Tiberium non Fortuna, non solitudines protegebant, quin tormenta pectoris, suasq; ipse pœnas faterctur.

Quamobrem

——Hos tu *Iuuen. Sat.* 13.
Euasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum tortore animo quatiente flagellum?

Itaque

Magne Pater diuûm, sæuos punire tyrannos *Pers. Sat.* 3.
Haud alia ratione velis, cum dira libido
Mouerit ingenium feruenti tincta veneno;
Virtutem videant, intabescantque relicta.

Vitia Principum infelices etiam subditos reddunt:

Nam:

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui. *Horat.*

Et

Et

Lucan.3. ——Procerum motus hæc cuncta (sequuntur:
Humanum paucis viuit genus.
——Nec vulgi cura tyrannis,
Val.Flac.5. Dum sua sit modo tuta salus.
Argon. Cupiditatibus etiam & vitijs Prin-
Cic.1.de cipum inficiolet ciuitas.
Leg.
Plin.4.ep.22. *Et* vt in corporibus, sic in imperio grauissimus est morbus, qui à capite diffunditur.

Cic. 1.de Nec solùm vitia concipiunt ipsi
Leg. Principes, sed ea infundunt in ciui-
tatem: neque obsunt solùm quòd ipsi
corrumpuntur, sed etiam quòd cor-
rumpunt: plusque exemplo, quàm
peccato nocent.

Quint.de i *Nam*, hæc est conditio Principum,
Clam.4. vt quicquid faciunt præcipere vide-
antur.

Vnde

Iuuen.Sat. ——Velocius & citius nos
13. Corrumpunt vitiorũ exempla do-
mestica, magnis
Cum subeant animos authoribus.

Et

Claud.5. Mobile mutatur semper cum Prin-
Consul.Ho- cipe vulgus.
nor.

Itaque Princeps sibi caueat à vitijs præ-

præsertim grauioribus.

Nam vitijs nemo sine nascitur: optimus ille est, Qui minimis vrgetur. *Horat 1. Sat. 3.*

Hic vero monendus est Princeps vt sibi caueat ab ijs rebus, quæ virtuti plurimùm obstant, quæque vitia gignunt & alunt: huiusmodi sunt primo praui affectus, & cupiditates.

Cupiditates verò sunt insatiabiles, quæ non modò singulos homines, sed vniuersas familias euertunt, totam etiam labefactant Remp. Ex cupiditatibus odia, diffidia, seditiones, bella nascuntur. *Cic. 1. de Fin*

Nec hæ sese foris solùm iactant, nec tantùm in alios cæco impetu incurrunt, sed intus etiam animis inclusæ inter se dissident, & discordant.

Itaque.

Tu licet extremos latè dominere per Indos, Te Medus, te mollis Arabs, & Seres adorent: Si metuis, si praua cupis, si duceris ira, *Claud. 4. Consul. Honor.*

Ser-

Seruitij patiere iugum; tolerabis iniquas
Interius leges: tunc omnia iure tenebis,
Cum poteris rex esse tui.

Cic. pro Sylla. *Et sanè* Regium est ita viuere, vt non modo homini nemini, sed ne cupiditati quidem vlli seruias.

Cic. in Parad. Nam cui tandem libero imperabit, qui non potest cupiditatibus suis imperare? Refrænet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat auaritiam, cæteras animi labes repellat: tum alijs incipiat imperare, cum ipse improbissimis dominis, dedecori, aut turpitudini parere desierit. Dum quidem his obediet, non modo Imperator, sed liber omnino habendus non erit.

Senec. de Tranquil. Non sunt igitur cupiditates in longinquum mittendæ; sed in vicinum illis egredi permittamus, quoniam includi ex toto non patiuntur.

SEd vt à consuetudine vitiosa tibi caueas, & ne prauorum affectuum, ac vitiorum mancipium fias;

Prin-

Principijs obsta : sero medicina paratur, *Ouid. 1. Rem.*
Cum mala per longas conualuere moras.

Nam omne malum nascens facile opprimitur : inueteratum fit plærumque robustius. *Cic. Philip. 5.*

Vnde Helleborum frustra, cum iam cutis ægra tumebit, *Pers. Sat. 3.*
Poscentes videas : venienti occurrite morbo.

Nam affectus frequentes, neglectiq; fecere morbum; sicut distillatio vna, nec adhuc in morem adducta tussim facit; assidua & vetus phthisin. *Senec. ep. 75.*

Vnde animus, si in iram, amorem, alioq; se proiecit affectus, non permittitur reprimere impetum. Rapiat illum oportet, & ad imum agat suum pondus, & vitiorum natura procliuis. *Sen. 1. de Ira.*

Itaque in primis finibus hostis arcendus est. Nam cum intrauit, & portis se intulit, modum à captiuis non accipit. *Ibidem.*

Hinc facilius est excludere perniciosa, quam regere; & non admittere, quam admissa moderari. *Sen. 1. de Ira.*

Cum enim se in possessione posuerunt, potentiora rectore sunt, nec recidi *Ibidem.*

cidi se, minuiue patiuntur. Deinde ratio ipsa, cui frena traduntur, tamdiu potens est, quamdiu diducta est ab affectibus.

Si miscuit se illis, & inquinauit, non potest continere quos submouere potuisset.

Pub. Mim. *Enimuero* grauissimum est Imperium consuetudinis.

Curt. lib. 5. *Et* consuetudo est naturâ potentior

Cic. de Leg. 1. *Nam* non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis, & seminis, quam ex ijs rebus, quæ ab ipsa natura loci, et à vitæ consuetudine suppeditantur.

Cic. de Leg. *Vnde* corruptela malæ consuetudinis igniculi extinguuntur à natura dati, exoriunturq; & confirmantur vitia contraria.

ERgo quia vitiosam consuetudinem parit negligentia & otium.

——— deniq; teipsum

Hor. 3. Sat. 3. Concute, num tibi quæ vitiorum
inseuerit olim
Natura, aut etiam consuetudo mala: Namq;
Neglectis vrenda filix innascitur agris.

Et

Ea

Fertilis, assiduo si non renouetur aratro, — *Ouid. 5. Trist. El. 12.*

Nil nisi, cum spinis, gramen habebit, ager.

Etiam

Cernis vt ignauum corrumpunt otia corpus; — *Idem 1. de Pont.*

Et capiant vitium, ni moueantur, aquæ.

Et sane res est disciplinæ inimicissima otium. — *Vel. lib. 2.*

Næ igitur illi falsi sunt, qui diuersissimas res pariter expetant, ignauiæ voluptatem, & præmia virtutis. — *Sallust. Inguart.*

Natura enim humana sicut duris laboribus instruitur; ita per otia torpentia fatuatur. — *Cassiod. 1. p. 39.*

Nam

——variam semper dant otia mentē. — *Lucan. 1.*

Et otium est viui hominis sepultura. — *Sen. ep. 82.*

Denique

Otium Reges prius, ac beatas perdidit vrbes. — *Catul. ad Lesb.*

Porro ne conuersatio, & conuictus improborum nocere possit.

Magni interest, quos quisq; audi-

 — *Cic. in Orat.*

at quotidiè domi, Quibuscum loquatur a puero.

Paræm. Manand. Nam corrumpunt bonos mores colloquia praua.

Præcipue

Virg. 3. Georg. Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas.

Sen. Thyeſt. *Nam* peiora iuuenes facilè præcepta audiunt.

Quint. lib. 1. Natura *enim* tenacissimi sumus eorum, quæ a pueris discimus: Et hæc ipsa magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt.

Ergo

Iuuen. Sat. 14 Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est: procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis Parasiti.
Maxima debetur puero reuerentia: si quid
Turpe paras, pueri ne tu contempseris annos.

Amm. Marcel. 32. Plures *autem* exemplis, quam peccandi licentia læduntur.

Plutarch. *Vode* imprudentes etiam vitia eorum imitamur, quibuscum viuimus.

Alex. Aphor. *Et* balbutire discit, quisquis assiduo

duo cum balbo viuit.

Ita etiam sumuntur a conuersantibus mores: &, vt quædam in contactos corporis vitia transiliunt; ita animus mala sua proximis tradit. Sen. ep. 47.

——— Quoniam dociles imitandis
Turpibus, & prauis omnes sumus. Iuuen. Sat. 14.

Itaque

Si damnosa patrem iuuat alea, ludit et hæres
Bullatus, paruoque eadem mouet arma fritillo. Ibidem.

——— Vnus, & alter
Forsitan hæc spernant iuuenes, quibus arte benigna, Ibidem.
Et meliore luto finxit præcordia Titan.
Sed reliquos fugienda patrum vestigia ducunt,
Et monstrata diu veteris trahit orbita culpæ.

Sed nullius mali contagio Principem magis ladit, quam adulatio, vitiorum altrix. Amm. Marcell. lib. 21.

Semper *enim* magnæ fortunæ comes est adulatio. Vell. lib. 2.

Tacit.2. Annal. *Et* quibusdam omnia Principum honesta atq; inhonesta laudare mos est.

Atqui

Iuuen.Sat.4. ——Nihil est quod credere de se
Non possit,cum laudatur dijs æqua potestas.

Sen.ep.45. Adulatio autem quàm similis est amicitiæ? non imitatur tantum illam, sed vincit,& præterit: Apertis et propitijs auribus recipitur; & in præcordia imà descendit, eo ipso gratiosa, quo lædit.

Tacit.3.hist. Hinc vera dicturos arcuere intimi amicorum Vitellij;ita formatis Principis auribus, vt aspera quæ vitilia, nec quicquam, nisi iucundum ac læsurum acciperet.

Plin.lib.11. cap.19. *Nam*, quod oleum est muscis, formicis,fereque reliquis insectis;id est, adulatio stultis Principibus. Siquidem oleo peruncta moriuntur illa: hi assentatione, & obsequio palponum in exitium trahuntur ipsi,& trahunt Remp.

Curt.lib.8. *Sane* Regum opes sæpius assentatio,quàm hostis euertit.

Cic.de Amicit. *Itaque* verum est illud Catonis:melius de quibusdam acerbos inimicos me-

mereri, quàm eos amicos qui dulces videantur: Illos verum sæpe dicere, hos nunquam.

Sæpe enim

Impia sub dulci melle venena latẽt, *Ouid. 1. Amor.*

Sed assentatio, quamuis perniciosa sit, nocere tamen nemini potest, nisi qui eam recipit, atque ea delectatur, Ita fit, vt is assentatoribus patefaciat aures suas maxime, qui sibi ipsi assentetur, & se maxime delectet. *Cic. de Amic.*

Quapropter

——Non si quid turbida Roma Eleuet, accedas, examenue improbum in illa
Castiges trutina; nec te quæsiueris extra. *Pers. Sat. 1.*

Sed potius

Respue quod non es: tollat sua munera Cerdo: *Ibidem.*
Tecum habita; & noris quàm sit tibi curta supellex.

VItia etiam in Principe fouet prospera fortuna.

Nam secundæ res mirè sunt vitijs obtentui. *Sallust. 1.*

Etiam res secundæ valent commutare naturam; & raro quisquam er- *Curt. 10.*

ga sua bona satis cautus est.

Tacit. 1. hist. *Enimuero* secundæ res acrioribus stimulis animum explorant, quia miseriæ tolerantur; felicitate corrumpimur.

Sen. ep. 39. *Siquidem* omnia quæ superfluunt, nocent: segetem nimia sternit vbertas: Rami onere franguntur: ad maturitatem non peruenit nimia fæcunditas. Idem quoq; animis euenit, quos immoderata prosperitas rumpit, qua non tantum in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vtuntur.

Lin. 42. *Itaque* modum imponere secundis rebus, nec nimis credere serenitati præsentis fortunæ prudentis hominis, & meritò felicis est.

Sen. Troad.

——Quoque fortuna altius
Euexit, ac leuauit humanas opes,
Hoc se magis supprimere felicem decet.

VT autem quid inter Virtutem, & vitium interſit, melius agnoscas;

Virg. Opusc.

Litera Pythagoræ discrimine secta bicorni;

Hu-

Humanæ vitæ ſpeciem præferre videtur.
Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum ſpectantibus offert:
Sed requiem præbet feſſis in vertice ſummo.
Molle oſtentat iter via lata; ſed vltima meta
Præcipitat captos, volutque per ardua ſaxa.
Quiſquis enim duros caſus virtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudemque decuſque parabit.
At qui deſidiam, luxumque ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos incauta mente labores,
Turpis, inopſq; ſimul miſerabile tranſiget ævum.

DE RELIGIONE.

DE Religione ac pietate in Deum, præcipua quidem virtutis parte, Diuina tamen potiùs, quàm morali, quæ, propositis præmijs ac supplicijs æternis efficacissimè Principem ad virtutem invitat, & à vitijs absterret, ex professo Sacræ literæ, earúmque fidi interpretes documenta tradunt: pauca admodum Philosophi, ac humaniorum literarum scriptores: è quibus pro nostro instituto nonnulla excerpsimus, quæ eandem Principi commendent.

Epict. Enchir.

Religionis erga Deum immortalem præcipuum illud esse scito, rectas de eodem habere opiniones, vt sentias & esse, & bene, iustéque administrare vniuersa: parendum esse illi, & in omnibus ijs quæ fiunt acquiescendum, & sequenda vltro, vt quæ à mente præstantissima regantur.

Et

Et cultus deorum est optimus, idemque, castissimus, atque sanctissimus, vt eos semper pura integra incorrupta & mente & voce venereris. *Cic. 2. de Nat. Deor.*

Decet autem quod optimum est ab optimo coli, & quod imperat ab imperante. *Diog. apud Stob.*

Nam & subditi minus iniustum aliquid sperant ab eo Principe se passuros, quem religionum, deorumque verentem existimant; & minus ei insidiantur, vt tutores, & adiutores habenti etiam deos. *Arist. 5. Pol. cap. 10.*

Pietate *autem* aduersus deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, & vna excellentissima virtus iustitia tollatur necesse est. *Cic. de Nat. Deor.*

Itaque non dubitauere sacris Imperia seruire, ita se rerum humanarum futura regimen existimantia, si Diuinæ potentiæ bene, atq; constanter essent famulata. *Val. lib. 1. cap. 1.*

Omnia *enim* prospera eueniunt colentibus deos; aduersa spernentibus *Lin. lib. 5.*

Siquidem Deus, qualis quisq; sit, quid agat, quid in se admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intuetur; Piorumq; & impiorum habet rationem. *Cic. 2. de Leg.*

Vnde

Hor. 3. Car. Od. 6.

Dijs te minorē quod geris imperas.
Hinc omne principium, huc refer exitum.
Dij multo neglecti dederunt
Hesperiæ mala luctuosæ.

Sen. Epist.

Magnum *vero* nescio quid, maiusque quàm cogitari potest numen est. Cui viuendo operā damus, huic nos approbemus. Nihil prodest inclusam esse conscientiam: patemus Deo.

Idem ep. 82.

Sic *igitur* viuendum est, tanquam in conspectu viuamus: sic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intuitum trahere possit. Quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum cum nihil deo clausum sit.

Salust. Iug. bel.

Namque mihi pro vero constat, omnium mortalium vitam diuino numine inuisi; neq; bonum, neq; malum facimus cuiusquam pro nihilo haberi; sed ex natura diuersa præmia bonos, malosq; sequi.

Boet lib. 5. Cons.

Manet certe spectator desuper cunctorum præscius Deus, visionisq; eius præsens semper æternitas cū nostrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis præmia, malis supplicia dispēsans, nec frustra sunt in deo positæ spes,

ſpes, preceſq́; quæ, cum rectæ ſint, inefficaces eſſe non poſſunt. Auerſamini igitur vitia, colite virtutes; ad rectas ſpes animum ſubleuate; humiles preces in excelſa porrigite. Magna vobis eſt, ſi diſſimulare non vultis, neceſſitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.

Nemo *vero* magnus ſine aliquo afflatu diuino vnquam fuit. *Cic. 2. de Nat. Deor.*

Et bonus vir ſine deo nemo eſt. An poteſt aliquis ſupra fortunam, niſi ab illo adiutus exurgere? Ille dat conſilia magnifica, & erecta. *Sen. ep 41.*

Fugienda autem ſuperſtitio;

Nam ſuperſtitio error inſanus eſt: amandos timet; quos colit violat. *Sen. ep. 123.*

Et ſuperſtitione qui eſt imbutus, quietus eſſe nunquam poteſt. *Cic. 1. de Fin.*

Ritus enim ſuperſtitioſi

Faciunt animos humiles formidine Diuûm, *Lucan.*
Depreſſoſq́; premunt ad terram.

Si cui *autem* inuieri vacet, quæ faciunt, quæque patiuntur ſuperſtitioſi, inueniet tam indecora honeſtis, tam indigna liberis, tam diſſimilia ſanis, vt nemo fuerit dubitaturus, *Sen. ec. Epiſt.*

taturus furere eos, si cum pauciori-
bus furerent. Nunc sanitatis patro-
cinium est insanientium turba.

Cic. de Divin. *Quamobrem* vt religio propaganda est, quæ est conjuncta cum cognatione naturæ: sic superstitionis stirpes omnes eijciendæ.

Plutar. in Lacon. *Nam* post hanc vitam felices erunt qui hic pie, iusteque vixerint, non qui fictis Ceremonijs fuerint initiati.

Senec. Optimus *enim* animus pulcherrimus dei cultus.

Ergo

Virg. 6. Aeneid. Discite iustitiam moniti, & non temnere diuos.

Namque.

Ouid. 13. Metam. Aspiciunt oculis superi mortalia iustis.

Quocirca

Senec. Thyest. Vos, quibus rector maris atq; terræ
Ius dedit magnum necis, atq; vitæ,
Ponite inflatos, tumidosq; vultus.
Quicquid à vobis minor extimescit,
Maior hoc vobis dominus minatur.
Omne sub regno grauiore regnū est.

Siquidem

Ouid. 4. Trist. Nil ita sublime est, supraq; pericula tendit,

Non

Non sit vt inferius, suppositumque Deo.
———Ergo, quæcunq; capesses,
Testes factorum stare arbitrabere diuos. Sil. 15.
Nam
Non secura quies illos, similisq; sopori Ouid. 1. Art,
Detinet: innocui viuite, numen adest.
Reddite depositum: pietas sua fœdera seruet:
Fraus absit: vacuas cædis habete manus.
———At vos
Dicete Pontifices, in sancto quid facit aurum? Pers. Sat. 2.
Nempe hoc quod Veneri donatæ à Virgine pupæ.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance.
Non possit magni Messalæ lippa propago?
Compositum ius fasq; animo, sanctosq; recessus.
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.
Hæc cedo, vt admoueam templis, & farre litabo.

DE PRVDENTIA.

Vim Prudentiæ, quæ virtus est Principi maximè necessaria, non modò reliquarum virtutum, sed etiam actionum omnium humanarum rectissima sit norma, & regula; de hac, vt ijsdem rectius applicari possit, doctorum & prudentium hominum sententias aliquot, pro instituta brevitate, in vsum Principis nostri concinnare visum est operæpretium.

Potest autem definiri prudentia intellectus, & dilectus rerum, quæ publicè, privatimque fugiendæ, aut appetendæ.

Iamb. apud Stob.

Ea vero est virtutum Princeps; reliquisq; omnibus vtitur; atque ipsarum ordinem, modum, & occasionē in præsentia, tanquam oculus quidam mentis vndequaq; lucidissimus, ostendit.

Vnde

Vnde merito dicebat Bion, prudentiam tanto cæteris virtutibus antecellere, quanto reliquis sensibus præstaret visus. *Apud eundem.*

Ille *autem* est vir prudens, qui potest bene consultare, & iudicare de ijs, quæ ipsi, vel alijs sunt bona, & vtilia, non ex parte solum aliqua, sed quoad totam viuendi rationem. *Arist. 6. Ethic.*

Itaq; ars vivendi est prudentia; vt medicina valetudinis. *Cic. 5. de Fin.*

Hæc præsentia ordinat, futura prouidet, præterita recordatur. *Aust. lib. de 4. Virt.*

Est *autem* prudentia propria imperantis virtus. *Arist. 3. Pol.*

Igitur quemadmodum, si gubernare navem velles, omnino prius artem gubernandi perdiscere: ita ciuitatem recturus regendi disciplinam addiscito. *Epist. apud Stob.*

Vt autem sapientia gubernator navim torquet, non valentia; *Titin.*

Ita plura in summa fortuna auspicijs & consilijs, quam telis & manibus geruntur. *Tacit. 13. Annal.*

Et multa quæ impedita sunt natura, consilio expediuntur. *Liu. 25.*

Nec quicquam potest esse diuturnum, cui non subsit ratio. *Curt. 4.*

Nam

Horat. ear. od. 3. *Nam* vis consilij expers mole ruit sua.

Isocrat. ad Damon. Cic. 2. de Offic. Vis *autem* adiuncta prudentiæ vsui est: sine ea magis abit in noxam.

Et parui sunt foris arma, nisi sit consilium domi.

Liv. 22. *Etiam* bono imperatori haud magni momenti fortuna est: mens, ratioque, dominatur.

Liv. 5. *Et* omnia summa ratione gesta, etiam fortuna sequitur.

Plaut. Trin. *Nam* sapiens pol ipse fingit fortunam sibi.

Quare

Iuven. Sat. 10. Nullum numen habes, si sit prudentia; nos te,
Nos facimus, fortuna, Deam, cœloque locamus.

Sen. Ep. 37. *Proinde, O Princeps,* si vis tibi omnia subijcere, te subijce rationi. Multos reges, si ratio te rexerit, Ab illa discès, quid, & quemadmodum aggredi debes.

Idem 1. de Benefic. Hac duce per totam vitam eundum est: minima maximaque ex huius consilio gerenda sunt.

Plin. 6. Ep. CAeterum faciendi aliquid, vel nõ faciẽdi vera ratio cum hõi-

num

num ipsorum, tum rerum etiam, ac temporum conditione initur.

Primùm autem quòd ad homines attinet:

Principis est virtus maxima nosse suos. *Mart.*

Igitur imperandi modum singulorum moribus decenter accommodato: cum probis moderate, cum supinis vehementius, cum audacibus acerbe, cum modestis denique & cautioribus leniter agas. *Pythag. apud Strob.*

Germanicum imitare, qui alium spe, alium gloria, cunctos alloquio, & cura sibique, & prælio firmabat: *Tacit. 1. An.*

Et Vespasianum, qui solitus suos adire, hortari, bonos laude, segnes exemplo incitare sæpius, quàm coercere, vitia magis amicorum, quàm virtutes dissimulans. *Idem 2. hist.*

Sunt *etiam* tam civitatum, quàm singulorum mores. *Liv. 45.*

Noscenda est *igitur* tibi natura vulgi, & quibus modis temperanter habeatur. *Tac. 3. An.*

Eam novit Cæsar.

Gnarus & irarum caussas, & summa favoris.

An-

Lucan. 3.

Annona momenta trahit: namque afferit vrbes.
Sola fames: nescit plebes ieiuna timere.

Tacit. 1. Annal.

Et Augustus, qui militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otij pellexit;

Ibidem.

Nec non ciuile rebatur misceri voluptatibus vulgi.

Idem 1. hist.

Nam vulgi fauor, vt largitione, & ambitu male acquiritur, ita per bonas artes non spernendus.

Cic. 1. de Offic.

Proprium *autem* est hoc prudentię conciliare sibi animos hominum, & ad vsus suos adiungere.

Vell. lib. 2.

Raro *enim* eminentes viri non magnis adiutoribus ad gubernandam fortunam suam vsi sunt.

Tacit. 3. hist.

Nam nullum maius boni imperij instrumentum, quàm boni amici.

Plin. paneg.

Et sane cum plurimis amicitijs fortuna Principis indigeat, præcipuum est Principis opus amicos parare.

Ibid.

Habes *autem, O Princeps,* amicos, quia ipse amicus es. Neque enim vt alia subiectis, ita amor imperatur. Neque est vllus affectus, tam erectus, & liber; nec qui magis vices exigat. Potest fortasse Princeps iniquè, po-

test

test tamen odio esse nonnullis Amari, nisi ipse amet, non potest.

Quare cum ciuibus tuis, quasi parens cum liberis, vivas; *Ibidem.*

Comitate, & alloquijs officia provocans; *Tacit. 5. hist.*

Sed incorrupto ducis honore. *Ibid.*

Nec aut reuerentiam terrore, aut amorem humilitate captabis; *Plin. Panegy.*

Et cum Germanico magnitudinem, & gravitatem summæ fortunæ retinens, inuidiam & arrogantiam effugies. *Tacit. 2. Annal.*

Ita *enim* virtutes specie dispares prudentia iunguntur. *Cic in Orat. ad Brut.*

Hoc te tamen moneo:

——Sapiente diffidentia

Non alia res vtilior est mortalibus *Eurip.*

Et qui cavet ne decipiatur, vix cauet, cum etiam cauet. *Plaut. Capt.*

Sed contrà ex illud inculco. *Sen. epist. 7.*

Multi fallere docuerunt, dum timent falli.

Nec prudentes suspicari oportet sibi parum credi. *Cæs. de bel. Ciuil.*

Nam vult sibi quisque credi: & habita fides ipsam obligat fidem. *Liu. 22.*

——Medio tutissimus ibis. *Ouid. 1. Metam.*

Vtrumq; *enim* in vitio est, & omnibus *Sen. ep. 3.*

nibus credere, & nulli.

Auth. lib. de 4. Virt. *Et* prudentis proprium est examinare consilia, nec cito fallaci credulitate ad falsa prolabi.

Senec. 4. de Benef. Fallaces enim sunt rerum species, & multa interueniunt, per quæ & malus pro bono subrepat, & bonus pro malo displiceat.

Plin. Paneg. *Sed quo minus decipiare*; tales nos crede, qualis fama cuiusque est. Huic oculos intende. Ne respexeris clandestinas existimationes, nullisque magis quàm audientibus insidiantes susurros. Melius omnibus, quàm singulis creditur: singuli enim decipere, & decipi possunt. Nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.

Sed maxime sibi caueant Principes ab Aulæ seruis;

Cic. ad Quint. Frat. Qui in aures eorum ficte & simulate quæstus sui causa insusurrant:

Vopisc. in Aureliano. *A quibus sæpe, vt aiebat Diocletianus*, bonus, cautus, optimus venditur Imperator.

Cic. ad Quin. Frat. *Etiam* species ipsa gratiosi liberti, aut serui dignitatem habere nullam potest.

Plin. Paneg. Nam præcipuum indicium non magni Principis magni liberti.

Quod

QVod ad res ipſas attinet: agere quod agas conſiderate, omnique in re quid ſit veri videre, & tueri decet. Cic. 1. de Offic

Nunquam autem expectare oportet certiſſimam rerum comprehenſionem, quia in arduo eſt veri exploratio, ſed eâ ire quâ ducit veriſimilitudo. Senec 4. de Benefic.

Ad rem gerendam *autem* qui accedit, caveat ne id modò conſideret, quàm illa res honeſta ſit, ſed etiam vt habeat efficiendi facultatem. Cic. 1. de Offic.

Nam indecorum Principi attrectare quod non obtineat. Tacit. 3. Annal.

Sed conſiderandum eſt, ne aut temere deſperet propter ignaviam. Cic. 1. de Offic.

(Multa enim experiendo fiunt, quæ ſegnibus ardua videntur) Tacit. 15. Annal.

Aut nimis confidat propter cupiditatem: Cic. 3. de Offic.

Nam concupiſcunt homines & quæ non poſſunt. Senec. 1. de Ira.

Et omnis fere cupiditas ipſa ſibi in id quod properat opponitur.

In omnibus autem negotijs, antequam aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens. Cic. 1. de Offic.

Illud etiam ingenij magni eſt præcipere cogitatione futura, & aliquanto Ibidem.

quanto ante constituere quid accidere possit, & quod agendum sit, cum quid evenerit, nec committere, vt aliquando dicendum sit, non putaram.

Ter. Adelph. *Nam* istuc est sapere, non quod ante pedes modo est videre; sed etiam illa quæ futura sunt prospicere.

A. Gell. l. 10. Ad res *autem* gerendas adhibeatur & industriæ celeritas, & diligentiæ tarditas.

August. in Suet. *Nam* sat celeriter fit, quicquid satis bene.

Cic. 1. de Offic. Excitanda est igitur animaduersio & diligentia, ne quid temere, ac fortuito, inconsiderate, ac negligenter fiat.

Idem. pro Mur. *Nam* temeritas cum sapientia non commiscetur.

Idem 2. de Orat. *Et* diligentia in omnibus rebus plurimum valet.

Hæc semper adhibenda: hæc nihil est quod non assequatur: qua vna virtute reliquæ omnes virtutes continentur.

Salust. ad Cæsar. Ibid. *Hanc adhibeat Princeps.* *Nam* maximo Imperio maxima cura inest.

Sed magnæ curæ magna merces est.

Illi

Illi autem, omissis præcipitibus tuta, & salutaria capessenda. *Tacit. 16. Annal.*

Sit etiam eruditus vtilia honestis miscere. *Tacit. Agric.*

Et sciat necessitates voluptatibus, seria iucundis anteferenda. *Plin. 7. ep. 22*

Necesse turpe cum re mutare consilium. *Sen. 4. de Benef.*

Nam superbæ stultitiæ perseueranti a est: Quod semel dixi, qualecunq; est fixum ratumq; sit. *Ibid.*

Sed quia humanarum rerum, plærasq; fortuna regit: *Salust. Iugurt.*

Imprudentium ista fiducia est fortunam sibi spondere: sapiens vtramque partem eius cogitat. *Sen. 4. de Benef.*

Ita vita est hominum, quasi cum ludas tesseris: *Terent. Adelph.*

Si illud quod maxime est opus iactu non cadit,
Illud quod cecidit forte id arte vt corrigas.

Nam ita præcellet, atque exinde sapere eum omnes dicimus, vt quisq; fortuna vtitur. *Plaut. Pseud.*

IN *rebus etiam gerendis*
——— Tempori aptari decet. *Sen. Med. Sui.*

Nam bonæ & honestæ res, si fiunt in-

intempestiue, non probantur.

Cic. 3. de Offic. Et multa, quæ honesta natura videntur, temporibus fiunt non honesta.

Quintilian. Decl. 12. Multa *etiam* temporum momentis pretiosa fiunt, aut vilia.

Cic. Philip. Magna *vero* in Rep. momenta sunt temporum: & multum interest, idem illud ante, an post decernatur, suscipiatur, agatur.

Auth. lib. de 4. Virt. Si *autem* prudentiam amplecteris, vbiq; idem eris: & provt rerum ac temporum varietas exigit, ita te accommodes tempori; nec te in aliquibus mutes, sed potius aptes: sicut manus eadem est, cum in palmam extenditur, & cum in pugnum astringitur.

Cic. 2. de Inuent. *Itaq;* in omnibus quid tempora petant, aut personis dignum sit considerandum est.

Quintil. Decl. 12. Plerumq; sera pro nullis sunt.

Lucan. 2. Tolle moras: semper nocuit differre paratis.

Halicarn. 8. Plerumq; vtilis, & tuta est dilatio; & multa mutantur vnius diei tempore.

Ouid. 3. Fast. Differ: habent parvæ commoda magna moræ.

Sed

Sed occasio rerum omnium optima Magistra. *Suid. in verbo.*

In qualibet enim re opportunum tempus spectandum est. *ὑποστάτης.*

Temporibus medicina valet: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vina nocent.
Quinetiam accendas vitia, irritesq́; vetando,
Temporibus si non aggrediare suis. *Ouid. 1. Re. med.*

VEra autem prudentia fallere non vult, & falli non potest. *Auth. lib. de 4. Virt.*

Nunquam *enim* deceptus est Princeps, nisi qui prius ipse decepit. *Plin. Paneg.*

Itaq́; ne quid insidiosè, ne quid simulatè, ne quid fallaciter agat. *Cic. 3. de Offic.*

Neque rationem à Dijs immortalibus datam in fraudem, malitiamq́; convertat: *Idem. 3. de Nat. Deorum*

Sed vnum illud ad laudem cum virtute directum iter probet, *Cic. pro M. Cæl.*

Sine fuco, & fallacia. *Idem. ep. 1. ad Attic.*

Nam gloriam, honorem, & Imperium bonus, & ignavus æquè sibi exoptat: sed ille vera via nititur: huic *Sallust. Cat.*

quia bonæ artes desunt, dolis atque fallacijs contendit.

Cic. 2. de Offic. Nulla *autem* pernicies vitæ maior esse potest, quam cum in vita inest simulatio.

Tacit. 5. Annal. Ne *sit igitur Princeps similis aut Tiberio*, qui nullam æquè, vt rebatur, ex virtutibus suis, quàm dissimulationem diligebat,

Idem 6. Annal. *Aut Caio*, qui, etsi commotus ingenio, simulationum falsa in sinu avi perdidicerat;

Tacit. Agric. *Sed potius Agricolæ*; *qui* vt bonis comis, ita adversus malos iniucundus. Cæterum ex iracundia nihil supererat: secretum & silentium eius non timeres: honestius putabat offendere, quàm odisse.

Plin. Paneg. *Et in eo Traiani* simplicitas, veritas, candor agnoscatur:

Salust. Catil. Ita vt esse, quàm videri probus malit;

Ibid. Non *quales illi*, quos ambitio falsos fieri subegit, magisque vultum, quam ingenium bonum habere.

Sen. Hippod. Nempe

O vita fallax abditos sensus geris,

Ani-

Animisq; pulchram turpibus faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies,
Pietas nefandum: vera fallaces probant:
Simulantq; molles dura.

Verum enimvero

Malus, cum se bonum simulat, tunc est pessimus. *Publ.*

Quo quis *autem* versutior & callidior, hoc est inuisior & suspectior detracta opinione probitatis. *Cic. 2. de Offic.*

Plus *enim* formidinis afferunt falsæ virtutes, & vitia reditura. *Tacit. 1. hist.*

Quocirca astutiæ tollendæ sunt, illaq; malitia, quæ vult quidem videri se esse prudentiam, sed abest ab ea distatq; quamplurimum. *Cic. 3. de Offic.*

Nam si qui simulatione, & inani ostentatione ficto non modo sermone, sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam flosculi, decidunt: nec simulatum potest quicquam esse diuturnum. *Idem 2. de Offic.*

Idem 1. de Of. Nulli autem magis quam bono Principi licet magnifice, grauiter, animoſeq; viuere, atque etiam ſimpliciter, vitæ q; hominum amicè.

Cic. 2. de Offic. *Est etiam prudentia, quæ* locata eſt in dilectu bonorum & malorum, eadem à ſe invicem ſecernere.

Plin. Pan. *Nam* plærumq; bonorum, malorumq; cauſæ ſub diuerſa ſpecie latent.

Cic. 4. quæſt. Acad. *Et* finitima ſunt falſa veris.

Ovid. 1. Remed. Et mala ſunt vicina bonis: errore ſub illo
Pro vitijs virtus crimina fæpe tulit.

Sen. ep. 45. *Sed ſæpius* pro bonis mala amplectimur;

Horat. Art. Poet. *Et*
Decipimur ſpecie recti.

Iuv. Sat. 14. Fallit enim vitium ſpecie virtutis, & vmbra.

Sen. ep. 120. *Nam* ſunt virtutibus vitia confinia, & perditis quoque, ac turpibus recti ſimilitudo eſt.

Idem ep. 45. *Hinc* vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt: temeritas ſub titulo fortitudinis latet; moderatio vocatur ignavia.

Ti-

Timidus vocat se cautum, parcum sordidus; *Publ.*

Et mentitur prodigus liberalem. *Sen. ep 120. Salust. Catil.*

Etiam bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur.

In his magno periculo erratur, in his igitur certas notas imprime. *Idem ep. 45.*

Nam vitia virtutes imitantia non possunt secerni, nisi signa quibus dignoscantur impresseris. *Idem 1. de Clem.*

Id vbi non fit:

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt. *Horat. Sat.*

Principis quoque prudentis est in primis famam non negligere.

Siquidem cæteris mortalibus in eo stant consilia, quid sibi conducere putent. Principum diuersa sors est, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda: *Tacit. 4. Annal.*

Nam non minùs fama, quàm vi, stant res Principum: *Idem 11. Annal.*

Vt autem quis factus est Princeps, extemplo fama eius, incertum bona, an mala, cæterum æterna est. *Plin. Paneg.*

Non ergo perpetua Principi fama, quæ inuitum manet, sed bona concupiscenda est.

Et sane maxime illis cauendum est, qualem famam habeant, qui qualemcunque meruerint magnam habituri sunt.

Cic. pro lege Man.

Homines enim vt metuant, aut oderint non minus opinione & fama, quàm certa aliqua ratione mouentur.

Tacit. 1. hist.

Vnde inuisum semel Principem seu bene, seu male facta premunt.

Liuia ad August apud Suetou.

Ac priuatis quidem hominibus satis est nihil delinquere: Principibus ne quidem suspectis esse licet.

Plutarch. in Mor.

Et vt in facie plus offendit næuus, aut verrucula, quàm in reliquo corpore grandes maculæ, aut cicatrices: sic exigua delicta magna videntur in Principe, cuius vita in conspicuo est.

Sen. 1. de Clem.

Illi *enim* non magis quàm soli latere contingit.

Plin. Paneg.

Et habet hoc primum magna fortuna, quòd nihil tectum, nihil occultum esse patitur. Principum vero non modo domos, sed cubicula ipsa, intimosq; secessus recludit, omniaq; arcana noscenda famæ proponit, atque explicat.

Vnde

Vnde nullus locus, nullum est tempus, quo funestorum Principum manes à posterorum execrationibus conquiescant. *Ibidem.*

Contrà contemptor ambitionis, & infinitæ potestatis domitor, ac frænator animus ipsa vetustate floreſcit.

Et memorem famam, qui bene gessit, habet. *Ouid. 3. Fast.*

PRudentiam vero gignunt vsus, & memoria. Quare in eam recte quadrat illud:

Vsus me genuit, mater peperit memoria. *Affran.*

Rerum *enim* singularum prudentia est, quæ notæ homini per vsum fiunt. *Aristot. 6. Eth.*

Itaque vsus efficaciſſimus rerum omnium magister. *Plin. lib. 26.*

Et experimentis optimè creditur. *Ibid.*

Nec *enim* Medici, nec Imperatores, nec oratores, quamuis artis præcepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine vsu, & exercitatione consequi possunt. *Cic. 1. de Offic.*

Plut. de gerend. Rep.
Vsu *enim* ratio splendescit, quo pacto æs vsibus nitescit.

Cic. 2. de Orat.
Sed ætas vsum denique affert,

Ouid. 6. Metam.
Et

——Seris venit vsus ab annis

Aristot. 6. Eth.
Vnde iuuenes prudentes esse non possunt, quia prudentia requirit experientiam, quæ tempore indiget.

Cic. de Sen.
Temeritas est videlicet florentis ætatis: prudentia senectutis.

Plutarch.
Itaque consilia senum, hastæ iuvenum sunt.

Salust. Catil.
Illis *enim* corpus annis infirmum; ingenium sapientia validum est.

Ibid.
Hi *vero* molles, & ætate fluxi dolis haud difficulter capiuntur.

Ouid. 3. Fast.
Nam

——Iuvenilibus annis
Luxuriant animi.——

Sen. Troad.
Et iuvenile vitium est, regere non posse impetum.

Plin. 8. epist. 23.
Suo tamen iudicio statim sapiunt, statim sciunt omnia.

Ibid.
Sed adolescentis hęc præcipua prudentia est, vt alios prudentiores arbitretur; hæc præcipua eruditio, vt discere velit.

Apollinis.
Ita verò faciet, si ex oraculi monito seipsum norit.

Quod

Quod difficillimum esse aiebat Chilon: vnumquemque enim multa ex cæco sui amore sibi attribuere. *Apud Stob. Ser. 31.*

Certe quidem insicitia audaciam, prudentia timiditatem gignit. *Thucid.*

Bona *vero* est timiditas, quæ deterret à turpibus, & reddit hominem circumspectum. *Erasm. Apoph.*

Atqui cum ad gubernacula Reip. temerarij atque audaces homines accedunt, maxima & miserrima naufragia sunt. *Cic. de Amic.*

Itaque est adolescentis maiores natu reuereri, exq; ijs deligere optimos & probatissimos, quorum consilio & authoritate nitatur. *Cic. 1. de Offic.*

Incuntis enim ætatis insicitia, senum constituenda, & regenda est prudentia.

Nam Princeps sit sapiens sapientium commercio. *Eurip.*

Sapientissimum autem esse dicunt eum, cui quod opus sit ipsi veniat in mentem: Proximè accedere illum, qui alterius bene inventis obtemperet: *Cic. pro Clu.*

Cæterum qui nec ipse consulere, *Liu. 22.*

nec alij parere scit, eum extremi esse ingenij.

Præsertim autem pareat patri, ac ijs quorum cura, ac prudentiæ regi debet.

Sen. 2. de Benef. *Nam* nemo regere potest, nisi qui & regi.

Plin. 7. ep. 20. *Et liberius* verum ei dicentes libenter audiat:

Ibid. Neq; enim vlli patientius reprehenduntur, quàm qui maxime laudari merentur.

Sen. 2. de Benef. Et admoneri bonus gaudet: Pessimus quisq; correptorem asperrime patitur.

Deniq; persuasum illi sit, quod

Ter. in Adelph. Nunquam ita quisquam bene subducta ratione ad vitam fuit,
Quin res, ætas, vsus semper aliquid apportet noui;
Aliquid moneat, vt ea, quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putaris prima in experiundo repudies.

Idem. Plaut. *Proinde* ex alijs periculum facito tibi quod ex vsu fiet.
Nam feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.

Et

Et ex vitio alterius sapiens emendat suum.

Memoriam, alteram prudentiæ parentem, præcipue instruit aeternat historia: quæ etiam & ad reliquas virtutes plurimum confert. Vtrumque præstant & aliæ literæ, præsertim Philosophicæ: quas, vna cum historia, non ij tantum qui in schola, sed etiam qui in Aula, & Republica maxime floruerunt, & cum illis clarissimi Principes suffragijs suis Principi commendunt.

Est autem historia vita memoriæ. *Cic. 2. de Orat.*

Et lux veritatis, ac Magistra vitæ. *Ibidem. Idem pr. Arch. Poe.*

Exempla enim omnia iacerent in tenebris, nisi literarum lumen accederet.

In historia vero hoc præcipue salubre, ac frugiferum; omnis te exempli documenta in illustri posita intueri; vt inde tibi, tuæq; Reip. quod imitere capias; Inde fœdum incæptu, fœdum exitu, quod vites. *Lin. lib. 1.*

Itaq; per historias veteres ire ne recusa: ibi enim reperies sine labore quæ alij *Basil. Imperi. Princip. Leonis filio.*

alij cum labore collegerunt, atque illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia; vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conversiones, mundi huius instabilitatem, & Imperiorum præcipites casus, & (vt verbo complectar) malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia: quorum illa fugies, ne in diuinæ iustitiæ manus incidas, hæc amplecteris, vt præmijs, quæ ea comitantur, potiaris.

Tacit. 4. Annal. Pauci *enim* prudentia honesta à deterioribus, vtilia à noxijs discernunt: plures aliorum eventis docentur.

Idem 1. hist. *Verum ex historia* non modò casus eventusq; rerum, qui plærumq; fortuiti sunt, sed ratio etiam, causæq; noscantur *oportet.*

Polib. lib. 3. Nam quemadmodum medici nihil prodesse ægrotantibus possunt, si morborum causas ignorant: ita qui circa res gestas versantur omni prorsus vtilitate carent, nisi & loci, & temporis, & causarum, omniumque occasionum ratio constet.

Porro

Porro qui ita nati sunt, vt bona, malaque eorum ad Pemp. pertineant, *Tacit. 4. Annal.*

Erudiantur artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. *Liu. lib. 1.*

Nam inter artes bonas integrum ingenium breui adolescit. *Salust. Iugurt.*

Est profecto nullus est, quem oporteet plura, vel meliora scire, quàm Principem, cuius doctrina debet omnibus prodesse subiectis. *Veget.*

Apage Agrippinam illam, quæ filium à philosophia arcuit, monens Imperatori contrariam esse. *Suet. Nero.*

Ex hac disciplina Nero puerilibus statim annis viuidum animum in alia detorsit; cælare, & pingere, cantus, aut regimen equorum exercere. *Tacit. 13. Annal.*

Cæterum

Tu regere imperio populos, Romane, memento. *Virg. 6. Aeneid.*

Igitur non paranda tibi solum, sed fruenda sapientia est: *Cic. 1. de Fin.*

Haud vt nomine magnifico segne otium veles; sed quo firmior aduersum fortuita Remp. capessas. *Tacit. 4. hist.*

Quamobrem diu pœnitus perdiscas quæ mox præcipere debeas. *Plin. Pan.*

Multum

Plin. 3. epiſt. Multum *vero* tibi legendum; ſed non multa.

Ariſtot. in Laert. *Nam* vt non ij qui plurimum comedunt, & exercentur melius valent ijs, qui modice: ita non qui plurima, ſed qui vtiliſſima legerint docti cenſendi.

Aeſchil. *Et ſane* qui fructuoſa, non qui multa ſcit, ſapit.

Plutarch in Apophth. regum & Imper. Fructuoſam *autem* eſſe Philoſophiam oſtendit Philippus, Alexandrum filium monens, vt auſcultaret Ariſtoteli, cui traditus erat inſtituendus, daretq; operam Philoſophiæ; ne, inquit, multa committas, quæ me feciſſe nunc pœnitet. Perſpexit egregius Princeps neminem Philoſophiæ expertem regno idoneum eſſe:

Nec puduit fateri, ſe multa per errorem feciſſe perperam, quòd a teneris vnguiculis philoſophiæ præceptis non fuiſſet imbutus. Nam qui experimentis diſcunt adminiſtrare regnum, licet ingenio feliciſſimo nati ſint, tamen & ſero, & magno Reip. malo tandem euadunt boni Reges. At qui Philoſophiæ præceptis præmunitus accedit, ſi adſit mens integra, vix poterit ab honeſto deflectere

Filius

Filius vero huius Alexander professus est se malle doctrina anteire reliquos, quam opibus, & dignitate. *In epist. ad Arist.*

Et Alphonsus Rex optimos consiliarios esse mortuos dicebat; libros videlicet designans; a quibus sine metu, sine gratia, quæ nosse cuperet fideliter acciperet. *Panorm. lib. 3 de rebus gest. Alph.*

Idem audiens Regem quendam dixisse, non decere principes viros scire literas, exclamauit, eam vocem bouis esse, non hominis: non enim ignorauit quantum prosit imperanti artibus liberalibus, ac Philosophiæ studijs probe esse instructum. *Erasm. Apophth.*

DE IVSTITIA.

Cic. 3. de Offic.

REGE dignissima virtus est Iustitia, omnium Domina, & Regina virtutum.

Idem 2. de Offic.

Nam fruendæ Iustitiæ causa olim bene morati Reges cõstituti sunt.

Plutar. de Doct. Princ.

Et sane quale pulcherrimum in cælo simulachrum sui Deus solem, atq; lunam infixit: tale in ciuitatibus eius exemplum est, atq; lumen Princeps:

Iura Dei similis qui dat mortalibus æqua:

Cic. 3. de Offi.

Illi *autem* Iustitia omni ratione retinenda, & colenda est, tum ipsa per sese, tum etiam propter amplificationem honoris & gloriæ.

Eodem.

Fundamentum *enim* perpetuæ commendationis, & famæ Iustitia est: sine qua nihil potest esse laudabile

Idem. 1. de Offic.

Et in Iustitia virtutis splendor est maximus; ex qua boni viri nominantur.

Augustin. apud Sen. in Laud.

Etiam pietate, & Iustitia Principe Dij sunt.

Definitur autem Iustitia constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens. *Inst. Iustin.*

Ac primum quidem eàm ius, & æquitas sint vincula ciuitatum, *Cic. 2. Parad.*

Omnino qui Reipub. præsunt duo Platonis præcepta teneant; vnum, vt vtilitatem ciuium sic tueantur, vt quicquid agant ad eam referant, obliti commodorum suorum: alterum, vt totum corpus Reip. curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deserant. *Cic. 1. de Offic.*

Et profecto bonus Princeps, cui curæ sunt vniuersa, quanquam alia magis, alia minus tuetur, nullam non Reip. partem tanquam sui nutrit. *Senec. 1. de Clem.*

Debet igitur commoda ciuium non diuellere: atque omnes eadem æquitate continere; *Ibidem.*

Et summos cum infimis pari iure retinere; *Idem 2. de Offic. Plut. in Sol.*

Neque committere, vt leges sint aranearum telis similes, in quibus infirmiora animalia hæreant, cum eadem valentiora perrumpant:

Aut vt queratur,

Quid faciant leges, vbi sola pecunia regnat; *Petron. in Sat.*

Aut

Aut vbi Paupertas vincere nulla poteſt.

Cic. in Epiſt. Brut.

Iam verò quia duabus potiſſimùm rebus continetur Reſp. præmio ſcilicet, & pœna:

Ibid. 2. de Orat.

Legibus propoſita ſunt ſupplicia vitijs; præmia virtutibus.

Iuuen. Sat. 10

Quis enim virtutem amplectitur ipſam,
Præmia ſi tollas?

Tac. 2. Annal.

Nam langueſcit induſtria, intenditur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus, aut ſpes.

Plin. Paneg.

Itaque ſub iuſto Principe non benefactis tantum ex conſcientia merces, ſed etiam præmia ſunt.

Ibidem.

Præmia *vero* bonorum malorumq; bonos ac malos faciunt. Pauci adeo ingenio valent, vt non turpe honeſtũque, prout bene, aut ſecus ceſſit, expetant, fugiantue. Cæteri, vbi laboris, inertiæ, vigilantiæ ſomno, frugalitatis, luxuriæ merces datur, eadem, iſta quibus alios artibus aſſecutos vident, cõſectantur, qualeſq; ſunt illi, tales eſſe & videri volunt, & dum volunt ſunt.

Saluſt. ad Caſ.

Nam perinde omnes res laudantur atque appetuntur, vt earum vſus eſt.

eſt. Malitia præmijs exercetur: Vbi ea dempſeris, nemo omnium gratuito malus eſt:

Et vbi malos præmia ſequuntur, haud facile quiſquã gratuito bonus eſt *Ibid.*

Et

Ipſe decor recti, facti ſi præmia tollas. *Ouid. 1. de Pont.*

Non mouet; & gratis pœnitet eſſe probum.

At omnium quidem beneficiorum, quæ merentibus tribuuntur, non ad ipſos magis gaudium, quàm ad ſimiles redundat. *Plin. Paneg.*

Ob verecundiam *autem* hominibus perfrictæ frontis nihil meritis non gratificari opus eſt iuſtum, ac rectum, & quidem prudentis. *Plut. de vitioſ. Pudent.*

ADhibenda eſt etiam Reip. cauſſa ſeueritas, ſine qua ad miniſtari ciuitas nulla poteſt. *Cic. 2. de Offic.*

Malum eſt *quidem* Principem habere, ſub quo nihil vlli liceat: peius vero eum, ſub quo omnia omnibus. *Dion. Neru.*

Siquidem ſalutaris ſeueritas vincit inanem ſpeciem clementiæ. *Cic. ad Brut. epiſt. 10.*

Et vnius improbi ſupplicio multorum improbitas coercetur. *Idem 3. Act. in Verr.*

Digi-

Vay in Frag. Digitum præcidi oportet, si ob eam rem grangræna non sit ad brachium ventura.

Et

Ouid. 1. Met. ——Immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Tacit. 3. Annal. Ne corporis quidem morbos veteres, & diu auctos, nisi per dura & aspera coerceas. Corruptus simul & corruptor, æger, & flagrans animus haud leuioribus remedijs restinguendus est, quàm libidinibus ardescit.

Salust. Iug. *Caue igitur ne*, dum ignoscis malis, bonos perditum eas.

Pub. *Etiam* qui vni improbo parcit, multis bonis minatur.

Cic. pro Mil. *Et* maxima illecebra peccandi est impunitatis spes.

Salust. Iug. *Itaque* haud patiendum licentiam scelerum, quasi rabiem, ad integros procedere.

Sed in seueritate modus abhibeatur, nam crudeles sunt; qui puniendi causſam habent, modum non habent.

Seneca 1. de Clem.

Talis Sylla, cuius

Ex-

Exceſſit medicina modum; nimium q; ſequuta eſt, Quâ morbi duxere, manus. *Lucan. 2.*

Sane Ius ſummum ſumma ſæpe malitia eſt. *Ter. Heaut.*

Et ſummum ius antiqui ſunamam putarunt crucem. *Colum. li. 1.*

Quinetiã Principibus omittenda potius prævalida et adulta vitia, quã hoc adſequi, vt palam fiat quibus vitiis ſint impares. *Tacit. 3. Annal.*

Nam intempeſtiuis remedijs deliꝛa accenduntur. *Tacit. 12. Annal.*

Tu vero, Princeps, ſriudicas, cognoſce. *Sen. Med.*

Ne auditi, & indefenſi; tanquam innocentes, pereant. *Tacit. 1. hiſt.*

Quis *autem* innocens eſſe poterit, ſi accuſaſſe ſufficiet? *Iulius. apud Marcel. l. 18.*

Etiam

Qui ſtatuit aliquid, parte inaudita altera,
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit. *Senec. Med.*

Et quamuis inuiſus, ac nocens moretamen audiendus. *Tacit. 3. hiſt.*

In iudicando *autem* ne facile credat, verum excutiat, & innocentiæ ſaueat. *Senec. de Clem.*

Omnis

Cic. 2. de Offic. Omnis *autem* animaduersio, & castigatio contumelia vacare debet, neq; ad eius qui punit aliquem, aut verbis castigat, sed ad Reip. vtilitatem referri.

Ibidem. Cauendum est etiam, ne maior pœna, quàm culpa sit: & ne ijsdem de caussis alij plectantur, alij ne appellentur quidem.

Ibidem. Prohibenda *autem* maxime est ira in puniendo, nunquam enim iratus qui accedet ad pœnam mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium, & parum.

Ibidem. Optandum *itaque*, vt ij qui præsunt Reip. legum similes sint, quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur.

Senec. de Clem. In vindicandis *autem* iniurijs lex est, vt hæc tria Princeps consideret; aut vt eum quem punit emendet; aut vt pœna eius cæteros meliores reddat; aut vt, sublatis malis cæteri securiores viuant.

Salust. ad Cæs. *Cæterum* Princeps ad crudeles pœnas, aut acerba iudicia non inuocandus; quibus ciuitas vastatur magis, quã corrigitur; sed vt prauas artes, malasq; libidines a iuuentute prohibeat.

Nam

Nam boni Principis est prohibere a delictis magis, quàm vindicare. *Idem in Iugur.*

Principi *vero*, vbi res pœnarum, aut coërctionis est, id alijs delegandum; vbi præmiorum aut munerum, ipsi obeundum. *Xenoph. ad Hieron.*

Alis autem nihil crediderit, nullam existimationis suæ partem commiserit. *Cic. ad Quint. Fr.*

Melius *enim* Officijs, & administrationibus non peccaturos præficere, quàm damnare, cum peccauerint. *Tac. Agric.*

Itaque est illi circumspiciendum diligenter, vt non se vnum, sed omnes ministros Imperij sui ciuibus, & Reip. præstet. *Cic. ad Quint. Fr.*

Nam cum recte factorum gratiam sibi quisq; trahant, vnius Principis inuidia ab omnibus peccatur. *Tacit. 3. Annal.*

Melior *autem* est, & prope tutior Resp. in qua Princeps malus, ea in qua mali Principis ministri. *Lampr. in Alex.*

Siquidem vnus malus potest a pluribus bonis corrigi: multi autem mali non possunt ab vno quantumuis bono superari. *Ibidem.*

Itaque rea tuas spectatissimis mandes. *Tacit. 4. Annal.*

Non

Salust. Iug. *Nouijs* quibus auaritia cæcis omnia honesta, atque inhonesta vendere mos est.

Tacit. 3. hist. *Aut* qui pecunijs acerbe conquirendis plus inuidiæ tibi, quàm virium addant.

Cæs. 3. de bel. ciu. Lampr. Com. *Et* præter imperatas pecunias priuato commodo seruiunt.

Prædamque in sinum suum conferunt,

Ex. Lauerniones:

Suet. Vesp. *Quibus* pro spongijs dicebatur vti Vespasianus, quòd quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes.

Cic. 1. de Offic. *Tv vero, Princeps*, fac vt sit libera, nec follicita rei suæ cuiq; custodia.

Tacit. Agric. *Nam subditi* dilectum, & tributa, & iuncta Imperij munera impigre obibunt, si iniuriæ absint.

Liu. 22. *Hinc olim* nullus terror, cum omnia bello arderent, fide Romanorum socios demouit, videlicet quia iusto moderatoq; Imperio regebantur.

Tac. 6. Anna. *Sed* pacem populi nonnunquam exuunt rectorum magis auaritia, quam obsequij impatientes.

Dion. lib. 55. *Vnde* Batto roganti Tiberio, quare

ab

ab imperio defeciſſent Illirij reſpondit: quia ad greges veſtros non canes, aut paſtores, ſed lupos mittitis.

Itaque & rectores hos Princeps monet, & meminerit ipſe, boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere. *Tiber. apud Suet.*

Et Alexandrum Severum audiat dicentem: Hortulanum odi, qui a radice olera exſcindit. *Apud. Lampridi.*

Sciatque huc omnia eſſe referenda ab ijs, qui præſunt alijs, vt qui eorum in Imperio erunt, ſint quam beatiſſimi: eſſeque non modo eius qui liberis, & ciuibus, ſed etiam eius qui ſeruis, qui mutis pecudibus præſit, eorum quibus præeſt commodis, vtilitatique ſeruire. *Cic. ad Quint. Fr.*

Quamobrem ne dominationem, & ſeruos, ſed rectorem, & ciues Princeps cogitet, clementiamque, & iuſtitiam capeſſat. *Tacit. 11. Annal.*

Nec illi vtendum imperio, vbi legibus agi poſſit. *Idem 4. Annal.*

Et nihill *in* penatibus venale, aut ambitioni peruium habeat. *Idem 11. Annal.*

Nullis etiam diſcordijs imbutus pari in omnes ſtudio agat. *Ibidem.*

Nec ſit qualesij, qui magnitudinem *Vell.*

fortunæ suæ peccandi licentia metiuntur, quicquid libet, pro licito iudicantes.

Salust. Iug. Quibus impunè quælibet facere, id est Regem esse:

Tacit. 4. Annal. *Et* qui diutina licentia & iniuria, quasi iure & æquo, nituntur.

Salust. Cat. Sed intelligat, quod qui magno Imperio præditi in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales nouêre. Ita in maxima fortuna minima licentia est.

Publ. *Sed* cui plus licet, quam par est, plus vult quam licet.

Spart. Carac. *Tyrannicum illud:* licet, si libet.

Sen. Troad. *Regium hoc*: minimum libere debet cui multum licet.

Cic. pro Rab. *Tu vero, Princeps*, etiam atque etiam memineris non solum quantum tibi commissum sit, sed etiam quatenus permissum.

Et sis

Lucan. 2. Iustitiæ cultor, rigidi seruator honesti;

Claud. In commune bonus.
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit.
Occurrat, mentemq; domet respectus honesti.

Et

Et Theodosium imitare, de quo Panegyristes. Idem es qui fuisti, & tantum tibi per te licet, quantum per leges antea licebat. Ius summum facultate & copia commodandi, non securitate peccandi experiris. *Panegyrist. Theod.*

Denique, si omnia quæ alium quéuis Imperantem in te facere velles, ea ipse tua sponte feceris; nec peccabis quidpiam, & omnia rite diriges, & vitam ex eo iucundissimam simul, & tutissimam viues. *Macen. a Augusti. in Diem.*

DE CLEMENTIA.

Dioclet. apud Pomp. Lat.

VT Princeps Iustitiæ laudem consequatur, eandem necesse est temperet clementia.

Nam iustitia, a qua clementia abest, crux est.

Senec. 2. de Clem.

Definitur autem clementia, temperantia animi in potestate vlciscendi:

Ibidem.

Vel lenitas superioris aduersus inferiorem in constituendis pœnis, etiam & remittendis.

Claud. 3. Stillic.

Hæc docet, vt pœnis hominum, Vel sanguine pasci
Turpe ferumq; putes; vt ferrum Marte cruentum
Sic cum pace premas, vt non infensus alendis
Materiem præstes odijs; vt fontibus vltro
Ignouisse velis; deponas ocius iram,
Quàm moueas; precibus nũquam implacabilis obstes;

Obuia

Obuia prosternas, prostrataque more leonum
Despicias.

Est quidem Clementia omnibus hominibus secundum naturam, maxime tamen decora Imperatoribus, quantò plus habet apud illos, quod seruet. *Senec. 1. de Clem.*

Vnde nihil est quod Imperatorem melius gentibus commendet, quàm Clementia. *M. Anton. in Vulc. Gal.*

Et seruare proprium est excellentis fortunæ. *Senec. 1. de Clem.*

Nam nihil habet alicuius fortuna melius, quam vt possit, nec natura, quàm vt velit seruare plurimos. *Cic pro Marcello.*

Ita *enim* vires magnis viris decori, gloriæque sunt, si illis salutaris potentia est. Nam pestifera vis est valere ad nocendum. *Sen. 1. de Clem.*

Et nullum ornamentum Principis fastigio dignius, pulchriusq; est, quàm illa corona ob ciues seruatos. *Ibidem.*

Nec vlla re propius homines ad Deum accedunt, quàm salute hominibus danda. *Cic. pro Ligar.*

Eminuero

Pulchrum est eminere inter illustres viros, *Sen. Oëtam.*

Consulere Patriæ; parcere afflictis; fera
Cæde abstinere; tempus atque iræ dare;
Orbi quietē, sæculo pacem suo.
Hæc summa virtus: petitur hac Cœlum via.

Senec. 1. de Clem.

PRæterea Clementia non tantum honestiores, sed etiam tutiores præstat: ornamentumque Imperiorum est, simul & certissima salus.

Ibidem.

Nam vnum est inexpugnabile munimentum amor ciuium:

Et profectò

Claud. ad Honor.

Non sic excubiæ, non circumstantia pila,
Quàm tutatur amor.

Liu. 8.

Et firmissimum est illud imperium, quo obedientes gaudent.

Sen. Oedip.

Etiam magnum timoris remedium est clementia.

Contrà verò

Claud. 4. Cons. Honor. Macrob. Sat. 7. Senec. 1. de Clem.

Qui terret, plus ipse timet.

Nam necesse est multos timeat, quem multi timent.

Tantumq; necesse est timeat, quantum timeri voluit, & manus omnium obseruet, & eo quoque tempore, quo non

non captatur, petiisse iudicet; nullumque momentum à metu immune habeat.

Malus autem Princeps inuisus est quia timetur, & timeri vult, quia inuisus est. *Ibidem.*

Sed metus ac terror infirma sunt vincula caritatis: quæ vbi remoueris, qui timere desierint, odisse incipient. *Tacit. Agric.*

Et nulla vis Imperij tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna. *Cic. 1. de Offic.*

Nam quem metuunt, oderunt: & quem quisque odit perisse cupit. *Ibidem.*

Quisquis *autem* vitam suam contempsit, tuæ dominus est. *Sen. epist 4.*

At caue multos, si singulos non times. *Capit in Maximin. Plin. Paneg.*

Frustra *enim* se terrore succinxerit, qui septus caritate non fuerit.

Nec potest diu quę multorum malo exercetur potentia stare. *Sen. li. 2. de Ira.*

Et quidem ego cuncta Imperia crudelia magis acerba, quàm diuturna arbitror: neque quenquam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidet: Eam vitam bellum æternum & anceps gerere, quoniam neque *Salust. ad Cæs.*

aduersus, neq; à tergo, aut lateribus tutus sis; semper in metu ac periculo agites: Contrà, qui benignitate ac Clementia Imperium temperauere, his candida & læta omnia fuisse, etiam hostes æquiores, quàm alijs ciues.

Cic. 2. de Offic. *Itaque* malus est custos diuturnitatis metus: contraq; benevolentia fidelis est vel ad perpetuitatem.

Ibidem. NEc ad incolumitatem solum, sed etiam ad opes & potentiam valet plurimum, vt metus absit, charitas retinetur.

Plin. 8. epist. 24. Longeq; valentior amor ad obtinendum quod velis, quàm timor.

Nam

Claud. Pan. Mall. ——Peragit tranquilla potestas
Quod violenta nequit: mandataq; fortius vrget
Imperiosa quies.

Terent. Heaut. *Vnde* reipsa reperi facilitate nihil homini esse melius, atque clementia.

Quamobrem

Sen. Theb. Qui vult amari, languida regnet manu:
Inuisa nunquam Imperia retinentur diu.

Clementia

Clementia vero in quamcumque domum peruenerit, eam felicem tã. quillamq; præstabit: sed in Regia quò rarior, eo mirabilior. *Sen. 1. de Clem.*

Et excogitare quicquam nemo poterit, quod magis decorum regenti sit quam clementia. *Ibidem.*

NEc tamen promiscuam habere, ac vulgarem Clementiam Principem oportet. *Ibidem.*

Nam tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli. *Idem.*

Itaque adhibenda est moderatio, quæ sanabilia ingenia distinguere a deploratis sciat. *Ibidem.*

Sed si quando misso sanguine opus est, sustinendum est, ne vltra quam necesse sit incidas. *Ibidem.*

Nam non minus turpia sunt Principi multa supplicia, quàm medico multa funera. *Ibidem.*

Frequens autem vindicta paucorum odium reprimit, omnium irritat. *Ibidem.*

Et quanquam aduersus sontes, & extrema meritos, miseratio tamen oritur, tanquam non vtilitate publica, sed insæuitiam vnius absumantur. *Tacit. 15. Annal.*

Debet igitur Princeps paruis peccatis *Tacit. Agr.*

catis veniam, magnis seueritatem commodare; nec pœna semper, sed sæpius pœnitentia contentus esse.

Cic. pro Clu. *Et efficere*, vt pœna ad paucos, metus ad omnes perueniat.

Idem 2. ad Attic. ep. 1. Melius *enim* sanare vitiosas partes, quàm exsecare.

Tacit. 5. Annal. Quosdam pudor, alios necessitas, nonnullos satias in melius mutet.

Sen. 1. de ira. Deniq; legum præsidem, ciuitatisq; Rectorem decet, quamdiu potest, verbis & his mollioribus ingenia curare; vt facienda suadeat, cupiditatēq; honesti, & æqui conciliet animis; faciatq; vitiorum odiū, pretium virtutum; Transeat deinde ad tristiorē orationē; quæ moneat adhuc, et exprobret. Nouissimè ad pœnas, & has adhuc leues, & reuocabiles decurrat: Vltima supplicia sceleribus vltimis ponat; vt nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit.

Sen. 1. de Clem. Nullum *enim* animal morosius est, nullum maiori arte tractādum, quàm homo; nulli magis parcendum. Quid enim stultius, quàm in iumentis quidē et canibus erubescere irā exercere, pessima autē conditiōe hominē esse?

Ibidem. *Saue* temperatus timor cohibet animos.

mos. Assiduus vero,& acer,& extrema admouens in audaciam iacentes excitat,& omnia experiri suadet.

Contra verecundiam peccandi facit ipsa clementia Regentis. *Ibidem.*

Et remissius imperâti melius paretur. *Ibidem.*

Nam

Dextera præcipue caput indulgentia mentes: *Ouid. 2. de Art.*

Asperitas odium, sæuaq; bella mouet.

Etiam

Conueniens homini est hominem seruare voluptas: *Idem 2. de Pont.*

Et melius nulla quæritur arte fauor.

TAmetsi *vero* difficilius sit moderari, vbi dolori debetur vltio, quàm vbi exemplo. *Sen. 1 de Clem.*

Lentus tamen in suo dolore sit Princeps. *Tac. 4 Annal.*

Longeq; sit in suis, quàm in alienis exorabilior iniurijs. *Senec. 1. de Clem.*

Nam quemadmodum non est magni animi, qui de alieno liberalis est, sed ille qui quod alteri donat sibi detrahit: ita Clementem vocabo non in alieno dolore facilem, sed *Ibidem.*

qui,

qui, cum suis stimulis exagitetur, non profilit; qui intelligit magni esse animi iniurias in summa potentia pati; nec quicquam esse gloriosius Principe impune læso.

Ibidem. *Qui voluit te ledere* deprehensus est? Iam nocere tibi non potest; prodesse famæ tuæ potest.

Ibidem. Pœnam *igitur*, si tuto poteris, donabis; sin minus, temperabis.

Plin. 9. ep. 21. *Sane* præcipua laus est mansuetudinis, cum iræ causa iustissima est.

Senec. 1. de Clem. *Et* cui vltio in facili est, is, omissa ea, certam laudem mansuetudinis consequitur.

Senec 1. de Clem. Augustum imitare, qui contumelias quoq; suas, quæ acerbiores Principibus solent esse quàm iniuriæ, nulla crudelitate exequebatur; & probrosis in se dictis arrisit.

Tacit. 4. Annal. *Idque prudenter: nam* conuicia, si irascare, agnita videntur: spreta exolescunt.

Plin. Paneg. *Et* de nullo minus Principe quæruntur homines, quàm de quo maxime licet.

Senec. 1. de Clem. *Certe quidem* magnam fortunam magnus animus decet.

Magni

Magni autem est animi proprium placidum esse, tranquillumq́; , & iniurias atq́; offensiones supernè despicere ; *Ibid.*

Etiam & hostium : Namq́;

——— Ignoscere pulchrum
Iam misero, pœnæq́; genus vidisse precantem. *Claud.*

Et sane

Quo quisq́; est maior, magis est placabilis iræ : *Ouid 3. de Trist. El. 5.*
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse Leoni :
Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet.
At Lupus, & turpes instant morientibus vrsi,
Et quæcunq́; minor nobilitate fera est.

Quanta *igitur* pervicacia in hostem, tanta beneficentia adversus supplices vtendum. *Tacit. 12. Annal.*

Et bellorum egregij fines, quoties ignoscendo transigitur. *Ibid.*

Regium enim est.

Parcere subiectis, & debellare superbos : *Virg. 6. Aen.*

Neq;

Saluſt. Iugurt. Neq; victis quicquam, præter iniuriæ licentiam, eripuiſſe.

Sen. 1. de Clem. Vti *enim* animoſe debes tanto munere Deorum, dandi, auferendiq; victum potens.

Liu. 45. *Et* in ſecundis rebus nihil in quenquam ſuperbe, ac violenter conſulere decet, nec præſenti credere fortunæ: cum, quid veſper ferat, incertum ſit.

Sen 1. de Clem. CVm autem puniendi ſunt rei, tanquam invitus, & magno cũ tormento ad caſtigandum venias.

Ibid. Nec tam vt ipſi pereant, quàm vt alios pereundo deterreant.

Nam

Claud. in Conſ. Mani. Qui fruitur pœna ferus eſt, legumq; videtur
Vindictam præſtare ſibi.

Ergo

Ovid. 1. de Pont. El. 3. Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
Quiq; dolet, quoties cogitur eſſe ferox.

Senit. de Clem. Suit. Veſp. *Qualis Auguſtus, quem* dare pœnas apparebat; cum exigeret.

Et Veſpaſianus, qui neque cæde cuiuſquam lætatus iuſtis ſupplicijs illachrimavit etiam, & ingemuit.

Quam-

Quamobrem non decet Regem sæua, & inexorabilis ira. *Sen. 1. de Clem.*

Nam nulla Regi gloria est ex sæua animadversione; Quis enim dubitat posse? At contra maxima, si vim suam continet, si multos iræ alienæ eripuit, neminem suæ impendit. *Ibid.*

Et nihil est tam Regium, tam liberale, tamq; munificum, quàm opē ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis homines. *Cic. 2. de Orat.*

Nunquam enim Princeps magis suspici debet, quam cum illi contingit idem posse, quod Dijs: quorum beneficio in lucem edimur tamboni, quàm mali. *Sen. 1. de Clem.*

Itaque se talem esse ciuibus, quales sibi Deos, velit. *Ibid.*

Vt gratulari sibi possit cum Augusto dicente: benignitas mea me ad cœlestem gloriam efferet. *In Suet.*

Enimvero

——Quisquis est placidè potens, *Sen. Hercul. Fur.*
Dominusq; vitæ seruat innocuas manus,

Et

Et incruentum, mitis, Imperium regit,
Animæq; parcit, longa permensus diu,
Fælicis ævi spatia vel cælum petit,
Vel læta, felix, nemoris Elisij loca.

DE

DE FIDE.

Huic Diuæ germana Fides, eadémque sororis — *Claud. 2. Stilic.*
Corde tuo delubra tenens, sese omnibus actis
Inferat: hæc doceat nullo liveſcere fuco;
Nunquam falsa loqui; nunquam promissa morari;
Inuisos odisse palam; non virus in alto
Condere, non lætam speciem prætendere fraudi;
Sed certum, mentique parem componere vultum.
Occulto sæuire vetat; prodesse remittit.

T autem Clementiæ soror, ita Iustitiæ fundamentum est Fides. — *Cic. 1. Offic.*

Fides *autem* appellata est, quia fiat quod dictū est. — *Ibid.*

Est *igitur* Fides dictorum, conventorumque constantia & veritas. — *Ibid.*

Lau-

Gen 3. de Benef. Laudatur verò, & inter maxima humani generis bona fides colitur.

Sil. lib. 4. ——— Fulgentibus ostro
Hæc potior regnis.

Enn. in Cic. 3. de Offic. O fides alma apta pennis, & iusiurandum Iouis.
Ante Iouem genera ta, decus divumq; hominumque:

Sil. 2. Qua sine non tellus pacem, non æquora norunt:
Iustitiæ consors; tacitumq́, in pectore Numen.

Val. lib. 6. cap. 6. Colendum est *itaque* venerabile hoc fidei Numen; quæ dextram suam salutis humanæ certissimum pignus ostentat.

Cat. Cens. ser. Quam Romani in Capitolio vicinam Iouis Opt. Max. esse voluerunt.

Liu. lib. 9. Apud eos enim iuxta diuinas religiones fides colebatur:

Idem. 44. *Et merito*, cum constaret fauere pietati, fideique Deos, per quæ populus Romanus ad tantum fastigij venerit.

Curt. 8. Fides *enim* stabile, & æternum facit Imperium.

Cic. 3. de Offic. Neq; vlla res vehementius Remp. continet, quàm fides.

Salust. Iug. *Tibi vero, Princeps*, non exercitus,

citus, neque thesauri præsidia Regni sunt, verum amici; quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio, & fide parantur.

Itaque fidem magnopere censemus conseruandam. *Auct. ad Heren.*

Nam perfidiosum, & nefarium est fidem frangere, quæ continet vitam. *Cic. pro Rosc.*

Siquidem infirmitatis, violatisque pactis, tollitur inter homines commerciorum vsus. *Arist. 1. Rhet.*

ILlo *autem* qui in dignitate sunt, turpius fraude inhonesta circumuenire, quàm lædere vi aperta. *Thucid. 4.*

Nam fraus quasi Vulpeculæ, vis Leonis videtur: *Cic. 1. de Offic.*

Nihil vero minus cadit in virum bonum quàm mentiri emolumenti sui causa, criminari, præripere, fallere. *Idem. 3. de Offic.*

Sunt autem qui omnia recta & honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur: *& cum Cæsare illud vsurpant:* *Ibid.*

Si violandum est ius, regnandi gratia
Violandum est: alijs rebus pietatem colas.

Sed

Sen 3. de Benef. Laudatur verò, & inter maxima humani generis bona fides colitur.

Sil. lib. 4. ——— Fulgentibus oſtro
Hæc potior regnis.

Enn. in Cic. 3. de Offic. O fides alma apta pennis, & iuſiurandum Iouis.
Ante Iouem genetrix, decus divumq; hominumque:

Sil. 2. Qua ſine non tellus pacem, non æquora norunt:
Iuſtitiæ conſors; tacitumq́, in pectore Numen.

Val. lib. 6. cap. 6. Colendum eſt *itaque* venerabile hoc fidei Numen; quæ dextram ſuam ſalutis humanæ certiſſimum pignus oſtentat.

Cat. Cen. ſer. Quam Romani in Capitolio vicinam Iouis Opt. Max. eſſe voluerunt.

Liu. lib. 9. Apud eos enim iuxta diuinas religiones fides colebatur:

Idem. 44. *Et merito*, cum conſtaret fauere pietati, fideique Deos, per quæ populus Romanus ad tantum faſtigij venerit.

Curt. 8. Fides *enim* ſtabile, & æternum facit Imperium.

Cic. 3. de Offic. Neq; vlla res vehementius Remp. continet, quàm fides.

Saluſt. Iug. *Tibi vero, Princeps*, non exercitus,

citus, neque thesauri præsidia Regni sunt, verum amici; quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio, & fide parantur.

Itaque fidem magnopere censemus conseruandam. *Auct. ad Heren.*

Nam perfidiosum, & nefarium est fidem frangere, quæ continet vitam. *Cic. pro Rosc.*

Siquidem infirmitatis, violatisque pactis, tollitur inter homines commerciorum vsus. *Arist. 1. Rhet.*

Is *autem* qui in dignitate sunt, turpius fraude inhonesta circumuenire, quàm lædere vi aperta. *Thucid. 4.*

Nam fraus quasi Vulpeculæ, vis Leonis videtur: *Cic. 1. de Offic.*

Nihil vero minus cadit in virum bonum quàm mentiri emolumenti sui caussa, criminari, prærripere, fallere. *Idem. 3. de Offic.*

Sunt autem qui omnia recta & honesta negligunt, dummodo potentiam consequantur: *& cum Cæsare illud vsurpant:* *Ibid.*

Si violandum est ius, regnandi gratia
Violandum est: alijs rebus pietatem colas. *Ibid.*

Sed

Ibidem. Sed capitalis Eteocles, vel potius Euripides, qui id vnum solum, quod omnium sceleratissimum fuerat, exceperit.

Itaque

Sil. 2. ——Ne rumpite fœdera pacis;
Nec Regnis postferte fidem.

Cic. de Amic. Nihil *enim* stabile quod est infidum.

Cic. 3. de Offic. Quid est *autem* quod afferre tantum vtilitas ista, quæ dicitur, possit, quantum auferre; si boni viri nomen eripuerit, fidem iustitiamque detraxerit.

Ibid. *Sed quotus quisque* dignus est, qui cum in tenebris mices?

Salust. Iugur. *Nam* paucis charior est fides, quàm pecunia.

Tacit. 12. Anal. Vnde fides integra non manet, vbi magnitudo quæstuum spectatur:

Pak. lib. 9. *Et nimis multi* mendacijs ac fallacijs quasi præclaris artibus, gaudent:

Plaut. Aul. *Quibus* pactum non pactum est, non pactum pactum, cùm illis lubet.

Liu. lib. 9. Hos perfidos nunquam caussa deficiet, cur pacto non stent:

Ibid. Semperq; aliquam fraudi speciem iuris imponunt.

——Nec

———Nec fraudem iure tueri *Iuuen. Sat. 13*
Iurando dubitant: ———

Et quouis effugio reperto, liberatos *Cic. 3. de Offic.*
se esse iureiurando interpretantur.

Sed fraus distringit, non dissolvit *Ibid.*
periurium.

Et Quacumq; arte verborum quis *Isid. lib. 2. de*
iuret, Deus tamen, qui conscientiæ *sum. bon.*
testis est, sic illud accipit, sicut ille, cui
iuratur, intelligit.

Qui *vero* putant nullam esse fidem, *Cic. 3. de Offic.*
quæ infideli data sit, videant ne quæ-
ratur latebra periurio.

Namque etiam hosti est æquus, qui *Publ.*
habet in consilio fidem.

Et fides iuris-iurandi est cum hoste *Cic. 3. de Offic.*
seruanda.

Hinc Regulus, cum retineretur à *Cic. 1. de offic.*
propinquis, & ab amicis, ad supplicium redire maluit, quam fidem hosti datam fallere.

Itaque

———Optimus ille *Sil. lib. 14.*
Militiæ, cui postremum est, primumq; tueri
Inter bella fidem: ———

Et bono vinci satius est, quàm malo more iniuriam vincere. *Sallust. Iugurt.*

Nullum

Cic. 3. de Offic. Nullum *autem* vinculum ad astringendam fidem iureiurando maiores arctius esse voluerunt:

Ibid. *Ergo* qui iusiurandum violat, fidem violat.

Ibid. *Quamobrem* quod affirmate, quasi Deo teste, promiseris, id tenendum est.

Sed quærat forte quispiam,

Iuuen. Sat. 13. Nullane periuri capitis, fraudisque nefandæ
Pœna erit?

Erit profecto: nam,

Tibul. Etsi quis primo periuria celat:
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Publ. *Immo & interea, si existimationem spectes,*
Qui fidem perdit, nil potest vltra perdere.

Liu. 3. *Et* famæ, *ac* fidei damna maiora sunt, quam quæ æstimari possunt:

Si conscientiam;

Lucan. 7. Heu quantum misero pœnæ mens conscia donat?

Iuuen. Sat. 13 Pœna autem vehemens, & multo sævior illis,

Quas

Quas & Cæditius, gravis invenit & Rhadamanthus,
Nocte, dieq; suum gestare in pectore testem

Quamobrem cave fluxam fidem geras. *Plaut. Aul.*

Sane res pulchra est lingua, cui fiet fides. *Euripid.*

Et Fides sanctissimum humani pectoris bonum est; Nulla necessitate ad fallendum cogitur: nullo corrumpitur præmio. *Sen. Ep. 8.*

Et vetat expectari fortunam, dum præstatur, Fides. *Cic. 2. de Divin.*

Itaq; probus quisq; dicet: malo mihi successum deesse, quam fidem. *Pub. Mim.*

Enimvero

Non bove mactato cælestia Numina gaudent;
Sed quæ præstanda est, & sine teste fide. *Ovid. ep. 12.*

DE

DE MODESTIA.

Modestia, quæ definiri potest moderatum de se suique iudicium in actione cum decore elucens, quemvis hominem decet, in primis verò Principem.

Plin. Paneg. Ille *enim* hoc magis excellit, atque eminet, quod vnum se ex nobis putat: nec minus hominem se, quàm hominibus præesse meminit.

Ibidem. *Sane* honor & potestas, quæ super homines quidem, hominum sunt tamen.

Cic. 1. de Offic. *Vnde* recte præcipere videntur, qui monent, vt, quanto superiores simus, tanto nos summissius geramus.

Plin. Paneg. Nulli enim magnitudine magis carent, quam qui sibi maiestatem maxime vendicant.

Et omnes, quos vecors animus supra cogitationes extollit humanas, altum quidem, & sublime spirare se credunt.

Cæterum

Cæterum nihil ſolidi ſubeſt: ſed in ruinam prona ſunt quæ ſine fundamentis creuere.

Tales ſunt Principes amentes imitantes imperitos ſtatuarios, qui exiſtimant Coloſſos ſuos magnos fore, & venuſtos, ſi tibijs quam maxime diductis, & inflatos, & hiantes fecerint: ſic iſti grauitate vocis, & torui-tate aſpectus, & morum aſperitate, & inſociabili quadam vita dignitatem, & maieſtatem Imperantum exprimere ſe cenſent. *Plut. de doct. Princ.*

Sed vana eſt hæc ſuperbiæ magnitudo, & quæ in odium etiam amanda perducat. *Senec. 2. de Benef.*

Et quo altius te ſublevaſti, hoc depreſſior es: oſtendiſque te non agnoſcere iſta bona quibus tantum inflaris. *Ibid.*

Multum vero intereſt inter ſublimen animum, & ſuperbum. *Sen. 1. de Ira.*

Nam mala ingenia terribilia eſſe, & tumultuoſa, & exitioſa poſſunt: magnitudinem quidem, cuius firmamentum eſt roburque bonitas, non habebunt.

Nec vlli magis abijciunt animos, quàm qui improbe tollunt. *Sen. 3. de Benef.*

Saluſt. Iugurt. *Eſt autem* contemptor animus, & ſuperbia commune nobilitatis malũ: *Et*

Claud. 2. 6til. Seru. 2. de Clem. Vitium rebus ſolenne ſecundis.
Quicquid *enim* leve & inane in animo eſt ſecunda ſe aura ſuſtollit.
Et fragilitatis humanæ nimia in proſperis rebus obliuio eſt.
Eſtque

Virg. 10. Aen. Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ,
Et ſeruare modum, rebus ſublata ſecundis.

Cic. de Amic. Non ſolum *enim* ipſa fortuna cæca eſt; ſed etiam eos plærumq; cæcos efficit, quos complexa eſt.

Publ. *Et* fortuna, cum blanditur, captatum advenit.

Curt. 3. *Etiam* naturam plærumq; fortuna corrumpit.

Ibid. *Et* inter tot obſequia fortunæ non ſatis cauta mortalitas eſt.

Vall. lib. 9. cap. 5. *Vnde* admodum felicitatis, & moderationis diuiduum eſt contubernium.

Curt. 7. *Itaq;* impone felicitati tuæ frænos: facilius illam reges.

Sen. Agam. Nam
—— Modicis rebus
Lon-

Longius ævum eſt.

Et vim temperatam dij quoq; pro- *Horat. 3. Car. Ode. 4.*
uehunt.

In maius.

Sed quicquid exceſſit modum pen- *Sen. Ode.*
det inſtabili loco.

Etiam

——— Valet ima ſummis *Horat. 1.*
Mutare, & inſignem attenuat *Car. Ode. 43.*
Deus
Obſcura promens.

Et fortuna vitrea eſt: cum ſplen- *Publ.*
det, frangitur.

Nam cuncta mortalium incerta: *Tacit. 1. An.*
quantoque plus adeptus ſis; tanto te
magis in lubrico cenſeas.

Et humanæ res fluxæ, ac mobiles *Saluſt. in.*
ſæpe in adverſa mutantur. *gurt. Curt. lib. 7.*

In quibus nihil tam firmum eſt,
cui periculum non ſit etiam ab inva-
lido.

Siquidem Leo ipſe aliquando mini- *Ibid.*
marum avium pabulum fit: & ferrum
rubigo conſumit.

Regem *etiam* & ſervus, & Serpens, *Sene. 1. de*
& ſagitta occidit. *Clem.*

Multa *vero* documenta non deſunt *Tacit.*
inſtabilis fortunæ, ſumma etiam mi-
ſcentis.

Sen. 6. de Benef. Et sæpe inter fortunam maximam & vltimam nihil interest.

Scilicet

Sen. Med. Confide regnis, cum lævis magnas opes
Huc ferat, & illuc casus.

Liu. 42. Rebus *igitur* secundis modestè, ac moderatè vtendum.

Curt. 3. Nec sis qualis Alexander, qui orientem fortunam moderate & prudenter tulit, ad vltimum magnitudinem eius non cepit.

Nam

Sen. Troad. Moderata durant: quoq; fortuna altius
Euexit ac leuauit humanas opes;
Hoc se magis supprimere felicem decet,
Varioq; casus tremere, metuentem Deos
Nimium fauentes.

Plin. lib. 9. ep. 24. *Itaque a te Princeps* absit superbia, & asperitas.

Nanq;

Claud. 4. Honor. Inquinat egregios adiuncta superbia mores.

Sin ita vis;

Dominare tumidus; spiritus altos gere: Se-

Sequitur ſuperbos vltor à tergo Deus.

Et cito ignominia fit ſuperbi gloria. *Pub.*

OMni autem in re modeſtia Principis eluceat.

Perſona enim Principis non ſolum animis, ſed etiam oculis ſeruire debet ciuium. *Cic. Phil. 8.*

Illius igitur ſtatus, inceſſus, ſeſſio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant decorum. *Cic. 1. de Offic.*

Sit ore probo; animo verecundo. *Saluſt. in Frag.*

Cultu modicus; ſermone facilis. *Tacit. Agric.*

Ore probo; quia vultus, ac frons animi eſt ianua, quæ ſignificat voluntatem abditam & retruſam. *Cic. de Pet. Conſ.*

Animo verecundo: quia cuſtos virtutum omnium dedecus fugiens, & laudem maximam conſequens, verecundia eſt. *Cic. de Orat.*

Cultu modicus: nam

Fine coli modico forma virilis amat. *Ouid ep. ad Phadr.*

Sermone facilis: nam difficile eſt dictu, quantopere concilict animos *Cic. 2. de Offic.*

hominum comitas, affabilitasque sermonis.

Sen. 1. de Clem. Sit *itaque* sermone affabilis; accessuque facilis; & vultu (qui maxime populos demeretur) amabilis.

Cic. 2. de Offic. IN *cultu vero obseruandum est*, vt à forma remoueatur omnis viro non dignus ornatus.

Ergo

Ouid. ep. Phadr. Sint procul à nobis, iuuenes, vt fœmina, compti;

Saluſt. Iug. Nam mundities mulieribus; viris labor conuenit.

Ar ſt praſat. ad Alex. Principi *vero* multo pulchrius, magisque Regium animum præferre cultum, & compositum, quàm corporis vestem.

Sira. ſ. in Orat. de Reg. *Hanc* magni Principes olim leuiter, & sine cura seipsos habuerunt, non ab apparatu, sed ab animo reges: & introrsum à plebe differebant; extrorsum vel gregarijs similes videbantur.

Suet. Auguſt. *Talis* fuit Augustus, qui veste non temere alia, quàm domestica vsus est, ab vxore, sorore, & filia, neptibusque confecta.

Tac. 2. hiſt. *Et* Vespasianus, qui veste habituq; vix

vix à gregario milite discrepabat.

Et Alexander Seuerus, qui gemmas à calciamentis, & vestibus sustulit, veste alba vsus, nec aurata, & pænulis, togisque communibus, dicens; Imperatoriam Maiestatem constare virtute, non corporis cultu. *Lampr. Alex.*

Sanè vbi magna cultus cura, magna est virtutis incuria. *Amm. Marcell.*

AD modestiam autem in sermone quod attinet, in hoc incumbe, vt libentius audias, quàm loquaris. *Sen.*

Nam idcirco, vt inquit Zeno, aures habemus duas, linguam vnam; vt plura audiamus, loquamur perpauca. *Apud Laert. 7.*

Vnde Hesiodus, Poetarum prudentissimus, linguam non vulgandam, sed recondendam esse dicit, perinde vt thesaurum, eiusq; esse in promendo gratiam plurimam, si modesta & parca sit. *Gell. lib. 1.*

Est *autem* taciturnitas optimum & tutissimum administrandarum rerum vinculum. *Val. lib. 3.*

Nec vlla res magna sustineri potest ab eo, cui tacere graue est. *Curt. 4.*

Quamobrem

Ouid. de Art. Eximia est virtus præstare silentia rebus:
At contra grauis est culpa tacenda loqui.

Dis. Cat. Nam nulli tacuisse nocet; nocet esse locutum.

Apud Laert. lib. 1. In loquendo *autem* Chilon non committendum esse dicebat, vt lingua mentem præcurreret.

Cic. 1. de Offic. Et in primis prouidendum est, ne sermo vitium aliquod indicet inesse moribus.

Val. lib. 2. Fugienda est etiam in sermone iactantia. Nihil est enim quod magis minuat laudis præconium, quàm suos assidue iactare successus.

Cic. de Off. Deforme etiam est de seipso prædicare falsa præsertim, & cum irrisione audientium imitari militem gloriosum.

Saluſt ad Caſ. *Nam huiusmodi Thraſonum* omnis vis, virtusq; in lingua sita est.

Taci. 2. hiſt. *Et*, vt quisque est animo ignauus, ita est ore procax.

Curt. lib. 7. *Scitum est illud*; canem timidum latrare vehementius, quàm mordere; altissima quæque flumina minimo sono labi.

Princeps

Princeps autem plurimum facere, & minimum ipſe de ſe loqui debet. *Saluſt. Iugurt.*

Etiam Regi vociferatio, verborumq; intemperantia non ex maieſtate eſt. *Sen. 1. de Clem.*

Si vero ineſt in oratione modeſtia, & grauitas, nihil admirabilius fieri poteſt; Hoq; magis, ea ſi ſunt in adoleſcente. *Cic de Offic.*

Sed modeſtiæ non deſunt immodeſti obtrectatores.

Nam is inceſſit mos, vt homines adoleſcentuli ſua, atq; aliena conſumere, nihil libidini, atq; alijs rogantibus denegare pulcherrimum putent: eam virtutem, & magnitudnem animi; pudorem atq; modeſtiam proſecordia æſtiment. *Saluſt. Ad Cæſ.*

Sed tu tibi perſuade modeſtiæ famam neq; ſummis mortalium aſpernandam, & à dijs æſtimari. *Tacit. 15. Annal.*

Non aſpernatus eſt eam Veſpaſianus, in quo nihil tumidum, aut arrogans, aut in rebus novis novum fuit, *Id. 2. Hiſt.*

Præcipuus adſtricti moris author, antiquo ipſe cultu, victuq;: *Id. 3. Ann.*

Nec Traianus; cui manebat Imperatori *Plin. Paneg.*

peratori quæ prior humanitas:

Quiq; par omnibus erat, & hoc tantum cæteris maior, quo melior.

Nam in huiusmodi Principibus

Non mutata quies, probitasve secundis

Sil. Intumuit; tenor idem animi, moresq; modesti,

Fortuna crescente, manent.

Plin. 9. ep. 24. Hos imitare: nec timueris contemptum.

Id. Paneg. Nec *enim* ab vllo periculo fortuna Principum longius abest, quam ab humilitate.

Ibid. Immo vero cui nihil ad augendum fastigium supereſt, hic vno modo crescere potest, si se ipse submittat securus magnitudinis suæ.

DE

DE LIBERALITATE.

DIgna Principe virtus est etiam liberalitas : quàm Diocletianus primam dotẽ Principis vocabat. *Apud Pomp Let.*

Regem *enim* armis, quàm munificentia vinci minus flagitiosum est. *Salust. Iug.*

Melius *etiam* beneficijs Imperium custoditur, quàm armis. *Sen. de brev. vit.*

Et ditare magis est regium, quàm ditescere: *Plut. Apoph.*

Nam multum occupare habere invidiam potest: multum tribuere gloria carere non potest. *Val. lib. 4.*

Et liberalitate qui vtuntur benevolentiam sibi conciliant, & (quod aptissimum est ad quietè vivendum) charitatem. *Cic. 1. de Fin.*

Liberale *autem* officium est ferere beneficium, vt metere possis *hunc* fructum. *Cic. Orat. ante Exil.*

Caterum falluntur, quibus luxuria specie

ſpecie liberalitatis imponit. Perdere multi ſciunt: donare neſciunt.

Plin. Paneg. *Siquidem* ambitio, & iactantia, & effuſio, & quidvis potius quàm liberalitas exiſtimanda eſt, cui ratio non conſtat.

Val. lib. 4. cap. vlt. Liberalitatis *autem* duo ſunt maxime probabiles fontes: verum iudicium, & honeſta benevolentia. Nam cum ab his oritur, tum demum ei ratio conſtat.

Sen. 1. de Benef. Beneficijs *enim* ſi detraxeris iudicium, definunt eſſe beneficia.

Ariſt. 1. mag. Mor. *Itaq;* Prodigus eſt qui vbi non decet & quantum non decet, & quando non decet, impendit: Avarus qui non impendit vbi decet, & quantum, & quando decet: Liberalis qui vbi, quãtum, & quando decet impendit.

Sen. 2. de Benef. IN beneficio *autem* iucundiſſima eſt tribuentis voluntas.

Ibid. *Et* gratiſſima ſunt beneficia parata, facile occurrentia, vbi nulla mora fuit, niſi in accipientis verecundia.

Val. lib. 4. Nam dono ipſi gratiam magnitudo quidem ſua, ſed efficatiorem aliquanto oportunitas conciliat.

Immo

Immo & gratius venit quod facili, quàm quod plena manu datur. *Sen. 1. de Benef.*

Vnde bis dat, qui cito dat. *Publ.*

Et bis est gratum quod opus est, vltro si offeras. *Idem.*

At vero

Gratia quæ tarda est ingrata est: gratia namque. *Auson.*

Cum fieri properat, gratia grata magis.

Nam omnis benignitas properat: & proprium est libenter facientis cito facere. *Senec. 2. de Benef.*

Quid? tu non intelligis tantum te gratiæ demere, quantum moræ adijcis? *Ibidem.*

Eodem enim animo beneficium debetur quo datur: & ideo non est negligenter dandum. *Senec. 1. de Benef.*

Ne sis igitur tu Princeps quales Regiæ potentiæ ministri sunt, quos delectat superbiæ suæ longum spectaculum, & minus se iudicant posse, nisi diu, multumque singulis quid possint ostentent: nihil confestim, nihil semel faciunt: Iniuriæ illorum præcipites; lenta beneficia sunt. *Idem. 1. de Benef.*

Curabis etiam, si gratè æstimari quæ præstabis voles, vt beneficia tua illibata, *Ibidem.*

illibata, & integra ad eos, quibus promissa sunt, perueniant sine vlla (quod aiunt) deductione. Nemo illa intercipiat; nemo detineat: nemo in eo quod deturus es gratiam suam facere potest, vt non tuam minuat.

Democ. apud Stob. Porro ad largiendum, quàm ad promittendum promptior esse debes.

Horat. 2. epist. 2. *Nam*
Multa fidem promissa leuant:

Ouid. 1. de Art. *Et*
Pollicitis diues quilibet esse potest.

Stob. Ser. de Mor. *Igitur* priusquam promittas, de libera.

Teren. And. *Sed* beneficium verbis inium re comprobes.

Cic. 2. de Offic. In beneficijs *vero* collocādis mores hominum, non fortunam sequi decet

Senec. 4. de Benef. Non est enim beneficium quod fortunam spectat.

Ibidem. *Itaq;* melius apud bonos, quàm apud fortunatos beneficium collocatur.

Ibidem. *Immo* & propensior benignitas esse debet in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate.

Ibidem. Quod *autem* tributum est bono viro, & grato, in eo cum ex ipso fructus est, tum etiam ex cæteris.

Nam

Nam beneficium dignis vbi das, omnes obligas. *Publ.*

Et beneficium dando accepit, qui digno dedit. *Id. ib.*

Quare quod benefit bonis haud perit. *Plaut. Rud.*

Sed contra, malo si benefacias, id beneficium interit. *Id. in Trin.*

Et benefacta male locata malefacta sunt. *Enn. apud Cic. 2. Offic.*

——Nam malo benefacere tantundem (tundem *Plaut. Pen.*

Est periculi, quantum bono malefacere.

Qui *vero* largiuntur indignis ea quæ dignis conferri debebant, tria committunt absurda: nam & ipsi iacturam faciunt; & in bonos iniurij sunt, & malos deteriores reddunt materiam vitijs suppeditantes. *Max. Ser. de Benef.*

Nonnulli autem, familiaribus probis, & indigentibus neglectis, dant alijs importune, ac impudenter petentibus non studio dandi, sed quia negare non possunt. *Plut. de vitioso pud.*

Hos liberales facit frontis infirmitas. *Senec. 2. de Benef.*

Sed dandi arbitrium iudicio, non inepto pudori deferēdum docuit Rex Ar-

Archelaus, qui, in cæna importuno quodam aureum poculum poscente, id Euripidi dari iussit, importuno illi dicens: tu dignus es qui petas, nec accipias; ille qui accipiat etiam non petens.

Lamp. Alex. Idem ostendit Alexander Seuerus, qui descriptũ habebat, quid cui præstitisset: qui autem ex benemeritis nihil, aut minimũ petijssent, eos appellabat dicens: quid est quod nihil petis? An me tibi vis fieri debitorem? pete, ne frustratus de me queraris.

Senec. 4. de Benef. *Hos imitare, non* Reges illos, qui multa opertis oculis donant;

Max. Ser. 8. *Et* gratias Virgines meretrices efficiunt.

Stob. Ser. 15. Similes ijs ficubus, quæ in altis præruptisq; nascuntur; è quibus homo fructum non capit, sed corui tantum, & milui.

Cic. 2. de Offic. *Itaque* in deligendis idoneis iudicium, & diligentiam adhibeas.

Sen. de Ben. *Et* habeatur personarum, ac dignitatum proportio.

Sen. 1. de Benef. *Si auaris beneficia das*; non patitur auiditas quenquam esse gratum: Nunquam enim improbæ spei quod datur satis est.

Si

Si ambitiosis, æque ambitio non patitur quenquam in ea mensura bonorum conquiescere, quæ quondam eius fuit impudens votum. Vltra enim se cupiditas porrigit, & felicitatem suam non intelligit, quia non vnde venerit respicit, sed quò tendat. *Ibidem.*

Caueto *etiam* ne largitio fontem ipsum benignitatis exhauriat: ita enim benignitate benignitas tollitur. *Cic. 1. de Offic.*

Et subitæ largitionis comes est pœnitentia. *Plin. ep. 8.*

Addè quod turpissimum genus damni est inconsulta donatio. *Senec. 1. de Benef.*

Etiam simplicitas, ac liberalitas, ni adsit modus, in exitium vertuntur. *Tacit. 3. hist.*

Curandum *igitur* est vt ratio quæstuum, & necessitas erogationum inter se congruant. *Idem 13. Annal.*

Non *enim* debet Princeps grauitate sumptuum iustos redditus anteire.

Sane frugalitas Principis multis impensis & erogationibus vel sola sufficit. *Plin. Paneg.*

Non debet *autem* priuatim largiri, quod auidius de Rep. sumat. *Tacit. 2. hist.*

Nam singuli nunquam saturabuntur: Resp. deficiet. *Idem 3. de*

Et

Cic. 2. de Offic. *Et* sequuntur largitionem rapinæ. Cum enim dando egere cæperint homines, alienis bonis manum afferre coguntur: nec tanta studia assequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt.

Tac. 3 hist. Amicitias *autem* qui magnitudine munerum, non constantia morum cõtinere putat, meretur magis, quàm habet.

Nam

Claud. 4. Honor. Perdurat non empta fides: nec pectora merces alligat.

Sen. Agam. *Et* precio parata vincitur precio fides.

Senec. 1. de Benef. *Itaque* ne sub specie benignitatis inconsulta facilitas placeat.

Ibidem. *Nam* liberalitatem nec deesse oportet, nec superfluere.

Ibidem. *Et* cum sit nulla honesta vis animi, etiamsi à recta voluntate incœpit, nisi quam virtutem modus fecit, veto liberalitatem nepotari.

Enimuero

Horat. 1. Sat. 1. Est modus in rebus; sunt certi denique fines;
Quos vltra, citraq; nequit consistere rectum.

DE

DE TEMPERANTIA.

VM Temperantia sit rationis in libidinem atque alios non rectos impetus animi summa & moderata dominatio, *quis eam summo dei mortalium moderatori, ac domino futuro necessariam esse non videt?* *Cic. Rhet.*

Nam nihil est tam præclarum, tamque magnificum, quod non moderatione temperari desideret. *Val. lib. 1.*

Est *autem* temperantia contractio quædam cupiditatum, & ordo superuacaneas, & ascititias abigens, & mediocriter cum decori ratione obsequens necessarijs. *Plut. Gril.*

Vnde temperantia voluptatibus imperat: alias odit, atque abigit: alias dispensat, & ad sanum modum dirigit: nec vnquam ad illas propter ipsas venit: scit optimum esse modum cupitorum non quantum velis, sed quantum debeas sumere. *Sen. ep. 88.*

Nam

Cic. 1. de Fin.

Nam in rebus fugiendis, aut expetendis ratione nos vt sequamur monet: nec enim satis est iudicare quid faciendum, non faciendumue sit, sed stare etiam oportet in eo quod sit iudicatum. Plærique autem continere atque seruare id quod statuerint non possunt, sed victi & debilitati, obiecta specie voluptatis, tradũt se libidinibus constringendos: nec quid prouenturum sit prouident, ob eamq; causam, propter voluptatẽ & paruam, & non necessariam, & quæ vel aliter pararetur, & qua etiam carere possent sine dolore, tum in morbos graues, tum in damna, tum in dedecora incurrunt.

Claud. Eutrop.

Et quia cæcus inest vitijs amor, omne futurum
Despicitur, suadentque breuem præsentia fructum:
Et ruit in vetitum damni secura libido.

Cic. 1. de Fin.

Qui *autem* ita frui volunt voluptatibus, vt nulli propter eas dolores consequantur, & qui suum iudicium retinent, ne voluptate victi faciant id quod sentiunt non esse faciendum; hi voluptatem maximam adipiscuntur prætermittenda voluptate.

Sed

SEd quemadmodum temperantia sedat apetitiones, & efficit, vt hæ rectæ rationi pareant, conseruatque considerata iudicia mentis: sic huic inimica intemperantia omnem animi flatum inflammat, conturbat, incitat. *Cic. 4. Tusc.*

Nam intemperans omnes voluptates concupiscit, aut certe maximas, sicq; voluptatibus rapitur, eas vt rebus omnibus anteponat. Itaq; & non fruendo angitur, & concupiscendo. *Aristt. 3. Eth. cap. 11.*

Et vt feras cum labore periculoq; venamur, & captarum quoq; illarum sollicita possessio est, sæpe enim laniant dominos: ita habentibus magnæ voluptates in magnum malum euasere, captæque cepere. Quæ quo plures, maioresque sunt, eo ille minor ac plurium seruus est, quem vulgus felicem apellat. *Sen. c. de Vita Beat.*

Sane miserrimi mortalium iudicandi, in quantiscunque opibus refulgeant, ventri aut libidini dediti, quorum animus inerti otio torpet. *Senec. 7. de Benef.*

Quo magis prauitas eorum admiranda est, qui dediti corporis gaudijs per luxum, & ignauiam ætatem agunt. Cæterum ingenium, quo neque melius, *Salust. Iug.*

melius, neq; amplius aliud in natura mortalium est, incultum, atq; socordia torpescere sinunt.

Tacit. 2. Annal. Animo *autem* per libidinem corrupto nihil honestum inest.

Cic. de Sen Voluptas *enim* rationi inimica impedit consilium, ac mentis perstringit oculos, nec habet vllum cum virtute commercium.

Idem in Para. *Et* quo maior est, eo magis mentem è suo statu & sede demouet.

Idem de Sen. *Vnde* in voluptatis regno virtus non potest consistere.

Sen. ep. 92. Voluptas *enim* dissoluit, & omne robur animi emollit.

Cic. Cat. Nulla vero capitalior pestis quàm voluptas corporis hominibus a natura data est.

Val. lib. 9. cap. 1. Quid enim luxuria, & libidine fœdius? quid etiam damnosius? quibus virtus atteritur, victoriæ langueſcunt, sopita gloria in infamiam conuertitur, animique pariter, et corporis vires expugnantur: adeo vt nescias ab hostibus, an ab illis capi pernicioſius habendum sit.

Sen. ep. 57. Vna Hannibalem hiberna soluerunt, et indomitũ illum niuibus, atq; Alpibus virum engruauerunt fométa

Cam-

Cápaniæ. Armis vicit: vitijs victus est
Itaq; recte voluptatem Plato escam *Cic. de Sen.*
malorum appellat, quod ea videlicet
homines capiantur, vt hamo pisces,
Vnde etiam dicitur
Luxuries prædulce malum, quæ *Claud. 2. Stil.*
dedita semper
Corporis arbitrijs hebetat cali-
gine sensus,
Membraque Circæis effæminat
aerius herbis,
Blanda quidem vultu, sed qua
non tetrior vlla
Interius, fucata genas, & ami-
cta dolosis
Illecebris auro torquos circumli-
gat hydros.

VOluptas *etiam* vt decoris labes *Cic. x. de Leg.*
opprimenda est.
Non enim est satis digna hominis *Idem 1. de*
præstantia. *Offic.*
In qua nihil est magnificum, aut *Sen. 7. de*
quod naturam hominis Dijs proxi- *Benef.*
mi deceat.
Nam humilis res, & pusilla est, & *Sen. ep. 123.*
in minimo habenda pretio, commu-
nis cum mutis animalibus: ad quã mi-
nima, & contemptissima aduolant:

Mem-

Idem 7. de Benef. Membrorum turpium ac vilium ministerio veniens, exitu fœda.

Ibidem. Fragilis est etiam, & brevis: fastidit obiecta: quo auidius hausta est citius in contrarium recidens: cuius subinde necesse est aut pudeat, aut pœniteat.

Cic. 2. de Fin. Fluit *enim* voluptas corporis, & prima quæq; auolat, sæpiusq; relinquit causſas pœnitendi, quam recordandi.

Boet. 3. de Consol. *Et* tristes esse voluptatum exitus, quisquis reminiſci libidinum ſuarum volet intelliget.

Nam

Ibidem.

Habet omnis hoc voluptas;
Stimulis agit fruentes,
Apiumq; par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Serm. in Memor. *Vnde* Aristoteles admonebat, vt voluptates contemplemur non venientes, ſed abeuntes: venientes enim fucata ſpecie blandiuntur: abeuntes dolorem, ac pœnitentiam relinquunt.

Ibidem. *Et* Architas Tarentinus dicebat nullam peſtem esse voluptate capitaliorem: ſiquidem ex ea, tanquam ex fonte

fonte prodit quicquid est in hominũ vita scelerum, & calamitatum.

——— Inde aspice late *Sil. 15.*
Florentes quondam luxus quas verterit vrbes.
Quippe nec ira Deũm tantum, nec tela, nec hostes,
Quantum scla noces animis illapsa voluptas.

Etiam

Perdidit horrendo Troiam Venus improba bello:
Et Lapithas bello perdis, Iacche, graui.

Itaque

Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas. *Ouid. 2. epist. 2.*

PRinceps autem ab amore lasciuo, intemperantiæ comite, ac fomite maxime sibi caueat.

Nam

Non bene conueniunt, nec in vna sede morantur *Ouid. 3. Metam.*
Maiestas, & amor.

Certe

Quid deceat non videt vllus amans. *Idem ep. 2.*

Porro amor & melle, & felle est *Plaut. Cistel.*

fæcundissimus: gustu quidem dat dulce: amarum ad satietatem vsque oggerit.

Vnde

Ouid. 2. Art. Quod iuuat exiguum est: plus est quod lædit amantes.

Ergo

Id. 1. Remed. Vtile propositum est sæuas extinguere flammas,
Nec seruum vitijs pectus habere suum.

Quamobrem

Ibidem. Opprime, dum noua sunt, subiti mala semina morbi.

Nam

Sen. Hippol. Qui blandiendo dulce nutriuit malum,
Sero recusat ferre quod subijt iugum.

Amor autem inuenta gignitur, luxu, otio:

Sen. Oedip. Nutritur inter læta fortunæ bona:
Quem si fouere, aut alere desistas, cadit;
Breuique vires perdit extinctus suas.

Itaque

Ouid. 1. Remed. Fac monitis fugias otia prima meis.

Hæc,

Hæc, vt ames, faciunt; hæc, vt fecere, tuentur:
Hæc sunt iucundi causſa, cibusque mali.
Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptæque iacent, & sine luce faces.

MAxime autem iuuenum ætas à libidinibus arcenda est, exercendaq; in labore, patientiaque animi, & corporis. *Cic. 1. de Offic.*

Atque etiam, cum relaxare animos, & dare se iucunditati volent, caueant intemperantiam; meminerint verecundiæ. *Ibidem.*

Nam ludo, & ioco vti illis quidem licet, sed sicut somno, & quietibus cæteris, tum cum grauibus seriisque satisfecerint. Ipsumque iocandi genus ingenuum & facetum esse debet, non profusum, nec immodestum: sed semper in ipso ioco aliquod probi ingenij lumen eluceat. *Ibidem.*

Enimuero libidinosa intemperansque adolescentia effætum corpus tradit senectuti. *Cic. de Senect.*

Hinc dicebat Diogenes, vt in *Apud. Stob. Ser. de in Temper.*

ædibus, in quibus copia est alimentorum multi sunt mures, & feles; sic etiam corpora intemperantium hominum multos sibi morbos ascisscere.

Senec. ep. 51. *Quamobrem adolescentes* id agere debent, vt irritamenta vitiorum quam longissime profugiant;

Idem ep. 27. *Et* dimittant voluptates turbidas magno luendas.

Siquidem

Ouid. ep. 16. Est virtus placitis abstinuisse bonis.

Cic. 5. Tusc. *Hoc autem eo magis faciendum quod* qui voluptatem maxime sequuntur, ij minime consequuntur.

Idem 1. de Fin. *Et* reijciendis voluptatibus maiores alias consequentur.

Democr. apud. Stob. *Nam* temperantia quæ iucunda sunt auget, & voluptatem maiorem facit.

Quippe

Iuuen. Voluptates commendat rarior vsus

Democr. apud Stob. *Et* dulcium quæ rarissima sunt maxime delectant: si quis modum excesserit, iucundissima quæq; iniucundissima fient.

Plæ-

Plærosque vero oblectamenta breuia, & fallacia decipiunt: sicut ebrietas, quæ vnius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pensat. Sed gaudium non nascitur nisi ex virtutum conscientia. Non potest gaudere nisi fortis, nisi iustus, nisi temperans. *Sen. ep. 59.*

——Semita certe
Tranquillæ per virtutem patet
vnica vitæ. *Iuuen. Sat. 10*

DE FORTITVDINE.

Vemadmodum Principi iustitia ad suos æquitate, ac legibus in pace regendos maximè conuenit: ita etiam & Fortitudo ad eosdem armis, in bello protegendos. Non igitur nostri instituti est, fortitudinem illam Principi commendare, quæ in perferrendo, ac patiendo præcipue cernitur (quamuis ea laudabilis sit, & cuiuis optanda) multo minus falsam illam, quam vulgus hominum suspicit, & laudat; cuius origo est odium, aut impotens ambitio, comites iniustitia, & temeritas, effectus iniustæ rapinæ, cædes, & publicæ clades: sed illam, qua Princeps se, suosque ab hostium, ac perduellium iniurijs inuicto animo tuetur; & quæ pro Cynosura iustitiam, pro gubernaculo prudentiam, pro portu denique pacem habet.

Cic. 1. de Offic.

Nam quod ad iustitiam attinet, ea animi elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus, si iustitia vacat, pug-

pugnatque non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, in vitio eſt. Non enim modo id virtutis non eſt, ſed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis.

Iuſtitiæ *vero* primum munus eſt, ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria. *Ibidem.*

Fortes igitur ac magnanimi ſunt habendi, non qui faciunt, ſed qui propulſant iniuriam. *Ibid.*

In eum *vero*, qui iure agere, & ſatisfacere paratus ſit, nefas bellum ſumere. *Thucid. lib. 1.*

Iuſtum *autem* bellum, quibus neceſſarium eſt: & pia arma quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes. *Liu. 9.*

Optabilius quidem *foret* magnitudinem ſuam iuſtitia tueri. *Tacit. de mor. Germ.*

Sed quia non deerunt, niſi ſilua, *in qua graſſantur*, excila, raptores alienæ libertatis. *Vel. lib. 2.*

Illud eſt non modo iuſtum, ſed etiam neceſſarium; cum vi vis illata defenditur. *Cic. pro Mil.*

Nam hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, vt om- *Ibidem.*

nem ſemper vim quacunque ope poſſent à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent.

Liu.5. *Sed* ſunt & belli, ſicut pacis iura: iuſteq; ea non minus, quàm fortiter debes gerere.

Tac.4.hiſt. *Nam* aliter quid aliud, quàm omnium inter ſe gentium bella exiſtent?

Saluſt ad Caſ. *Et* barbaro ritu cædem cæde, & ſanguinem ſanguine expiabimus.

Saluſt.Cat. *Sed* plærique libidinem dominandi cauſſam belli habent, & maximam gloriam in maximo Imperio putant.

Plin.Paneg. *Et* ex omni occaſione quærunt triumphum.

Namque his

Iuuen.Sat.10 Bellorum exuuiæ, truncis affixa trophæis,
Lorica, & fracta de caſſide buccula pendens,
Humanis maiora bonis creduntur.

Vnde ab ijſdem.

Sen.Herc. Fur. ——Quæritur belli exitus,
Non cauſſa.

Attamen

Attamen plerunque euentus belli, *Liu.21.*
velut æquus iudex, vnde ius ſtabat, ei victoriam dedit.

Sane

Cauſſa iubet ſuperos melior ſpe- *Lucan.7.*
rare ſecundos.

Et vi conſcientiæ

Frangit, & attollit vires in mi- *Propert.*
lite cauſſa: *4.El.*
Quæ niſi iuſta ſubeſt, excutit
arma pudor.

PRudentia etiam fortitudinem gubernet.

Nam ſortes non modo fortuna ad- *Cic.2.Tuſc.*
iuuat (vt eſt in prouerbio) ſed multo magis ratio, quæ quibuſdam quaſi præceptis confirmat vim fortitudinis.

Et illa certiſſima eſt virtus, quæ *Sen.1.de Ira.*
ſe diu multumque circumſpexit, & rexit, & ex lento, ac deſtinato prouexit.

Nam temeritas, vbi primum impetum fudit, velut quædam animalia, amiſſo aculeo torpet.

Proinde

——Non ſolis viribus æquum *Val.Flac.4.*
Credere; ſæpe acri potior Pru- *Argon.*
dentia

dentia dextra.

Hinc in Vlysse Prudentia sic in Aiace audaciam compellat:

———Tibi dextera bello
Vtilis; ingenium est quod eget moderamine nostro:
Tu vires sine mente geris; mihi cura futuri est:
Tu pugnare potes; pugnandi tempora mecum
Eligit Atrides: Tu tantum corpore prodes;
Nos animo: quantoq; ratem qui temperat, anteit
Remigis officium; quanto est dux milite maior;
Tantum ego te supero.

Ouid 13. Metam.

Tacit. 1. Annal. *Itaque* arma consilio temperanda sunt.

Ter. Eunuch. *Et* consilio omnia prius, quàm armis experiri sapientem decet.

Publ. *Nam* animus vereri qui scit, scit tuto aggredi.

Liu. 22. *Et* omnia audens contemnitur: nil temere agens metuitur.

Saluſt. Iug. Quicquid *igitur* præter opinionem in bello euenire potest, priusquam aggrediare, considera.

Thucid. 1. *Nam* omne bellum sumitur facile; cæterum

cæterum ægerrime definit: nec in eiusdem potestate initium eius, & finis est. Incipere cuiuis etiam ignauo licet: deponitur, cum victores volunt.

Itaque cum tuas vires, tum vim fortunæ, Martemq; belli communem propone animo. *Liu. 30.*

Nam

Licet omne tecum Græciæ robur trahas; *Senec. Thebaid.*
Licet arma longe miles, ac late explicet;
Fortuna belli semper ancipiti in loco est.

Quantumuis *autem* opibus tuis confidas, non debes certa proinceptis mutare. *Salust. Iug.*

Nec ita aliena appetas, vt de tuis dimittas. *Liu. 30.*

Quin potius cane, ne dum ad culmen venire contendis, vna cum ipsis ramis, quos comprehendisti decidas: *Cui libet.*

Et Augustum audi, qui prælium, aut bellum suscipiendum omnino negabat, nisi cum maior emolumenti spes, quam damni metus ostenderetur. Nam minima cõmoda non minimo *Suet. Aug.*

sectantes

sectantes discrimine similes aiebat esse aureo hamo piscantibus, cuius abrupti damnum nulla captura pensari posset.

Liu. 30. Simul *enim* parta, & sperata decora vnius horæ fortuna euertere potest.

Tacit. 13. Annal. *Sane* cautis, quàm acrioribus consilijs fortuna tutius habetur.

Suet. Aug. *Quamobrem Augustum imitare*, qui nulli genti sine iustis, & necessarijs caussis bellum intulit:

Plin. Paneg. *Et cum Traiano* nec prouoces bella, nec timeas.

acit. de Mor. Ger. Id beatius, quàm suas alienasque fortunas metu versare.

Sen. ep. 89. *Sane pius, etiam & magnanimus Princeps* alieno sanguini, tanquam suo, parcit; & scit homini non esse homine prodige vtendum.

Capit. Anton. *Etiam cum Scipione, & Antonino* mauult vnum ciuem seruare, quàm mille hostes occidere.

Liu. 21. Page *ergo* furias, faceſque belli;

Thucid. 3. Homines in id natos, vt neq; ipsi quiescant, nec alios sinant.

Istorum enim

Quem-

Quemque ſuæ rapiunt ſcæleratæ in prælia cauſæ. *Lucan.1.*

At

Heu miſeri qui bella gerunt. *Lucan.4.*

Nam belli non aduentus ſolum, ſed etiam metus affert calamitatem. *Cic.pro leg. Man.*

Tum enim

——Non vllus aratro Dignus honos: ſqualent abductis arua colonis. *Virg.1. Georg.*

Tum ſcelera dempto fine per cunctas domos
Iere: nullum caruit exemplo nefas. *Sen.Hip.*

Namque

——Arma non ſeruant modum: Nec temperari facile, nec reprimi poteſt Stricti enſis ira. *Sen.Here. Fur.*

Et

Notũ quid cæde calentibus armis, Quantum iræ liceat, motuſq; quid audeat enſis. *Sil.1.*

CVm *igitur* duo ſint genera decertandi, vnum per diſceptationem; alterum per vim; cumq; illud proprium ſit hominis, hoc beluarum, confugendum eſt ad poſterius, ſi vti non licet ſuperiore. *Cic.1.de Off.*

Ac

At tum quidem

Virg. 6. Aen. Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Tacit. 4. Ann. Atq; erectum, & fidentem animi te ostende.

Cic. 1. de Offi. *Nam* fortis animi, & constantis est non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu deijci (vt dicitur) sed presentis animi vti consilio, nec a ratione discedere.

Ibid. Cum *enim* tempus est, necessitasq; postulat, decertandum manu est; & mors servituti, turpitudiniq; anteponenda.

Enim vero

Horat. 3. Car. Od. 2.

Dulce, & decorum est pro patria mori.

Mors & fugacem persequitur virum:

Nec parcit imbellis iuventæ

Poplitibus, timidoq; tergo.

Tacit. Agric. *Sane* honesta mors turpi vita potior: et incolumitas, ac decus eodem loco sita sunt.

Salust. Iugurt. *Nam* fortissimus quisq; tutissimus est.

Et intuta plærumq; quæ indecora.

Tacit. 1. hist. *Salust. Catil.* In prælio *enim* qui maxime timent, his maximum periculum est.

Et pauidis consilia in incerto sunt. *Tacit. 2. Annal.*

Quamobrem nunquam omnino periculi fuga committendum est, vt imbelles timidiq; videamur: sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine caussa, quo nihil stultius esse potest. *Cic. 1. de Offic.*

Et sane

——— Fortissimus ille est, *Lucan. 7.*
Qui promptus metuenda pati, si cominus instent,
Et differre potest.

Itaque eris fortis, & magnanimus, pericula si non appetas, vt temerarius; nec vt timidus formides. *Amb. lib. de 4. Virt.*

SI *vero gerendum* sit bellum, ita suscipiatur, vt nihil aliud quam pax quæsita videatur. *Cic. 1. de Off.*

Nam sapientes pacis caussa bellum gerunt, & laborem spe otij sustentant. *Salust. ad Cæs.*

Siquidem in pace caussæ, & merita spectantur: vbi bellum ingruit, innocentes, ac noxij iuxta cadunt. *Tacit. 1o. Annal.*

Et profecto melior, tutiorq; est certa pax, quam sperata victoria. Illa in tua, hæc in deorum manu est. *Liu. 30.*

Etiam nomen pacis dulce est: res vero ipsa tum iucunda, tum salutaris. *Cic. Phil. 13.*

Qua-

Id. de Leg. Agrar. Qua non modo ij quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta, atque agri lætari videntur.

Etenim

——Pax optima rerum,
Sil. 11. Quas homini novisse datum est:
pax vna triumphis
Innumeris potior.

Nam

Virg. 11. Aen. Nulla salus bello: pacem te poscimus omnes.

Et sane

Ouid. de Art. Candida pax homines, trux decet ira feras.

Itaque

Ouid. 1. Fast. Frondibus Actiacis comptos redimita capillos
Pax ades, & toto mitis in orbe mane.
Dum desint hostes, desit quoq; causa triumphi:
Tu ducibus bello gloria maior eris.

DE

DE VITA ET virtutibus ANTONINI PII Imperatoris, è IVLIO CAPITOLINO & AVRELIO VICTORE excerpta maxime memorabilia.

FVit ANTONINVS cognomento PIVS, Vir forma conſpicuus, ingenio clarus, ſingularis eloquentiæ, & nitidæ literaturæ, ſobrius, alieni abſtinens, modeſtus, & ab omni iactantia alienus, nec vlla fere vitij labe maculatus; adeo denique laudabilis, vt Numæ Pompilio compararetur. Ab Hadriano Imperatore in ſucceſſionem imperij adoptatus aurum coronarium, quod adoptionis ſuæ cauſſa oblatum fuerat, Italicis totum, medium Prouincialibus

cialibus reddidit. Erga Hadrianum, dum vixit; summa fuit pietate, & eidem religiosissimè paruit. Per Legatos plurima bella gessit. Procuratores suos tributa modestè exigere iussit, & modum excedentes rationem factorum reddere coëgit. Nec vnquam lætatus est lucro, quo Prouinciales opprimerentur. De Procuratoribus, & reliquis ministris suis conquerentes æquo animo audiebat. Si quos autem repetundarum damnasset, eorum liberis bona paterna restituebat, ea tamen lege, vt illi Prouincialibus redderent, quod parentes iniuste abstulissent. Quos Hadrianus damnauerat, absolui à Senatu curauit, dicens Hadrianum ipsum id fuisse facturum. Imperatorium fastigium ad summam ciuilitatem deduxit (vnde amplius creuit) indignantibus Aulicis ministris, qui, illo nihil per internuncios agente, nec aditum ad eum hominibus intercludere poterant, nec illius fauores aut beneficia vendere. Senatui tantum detulit Imperator, quantum

cum

cum priuatus esset. Patris Patriæ nomen delatum sibi à Senatu, quod propter modestiam accipere distulerat, cum ingenti gratiarum actione tandem suscepit. Erga amicos benignum & constantem se præbuit: tantaque charitate, ac diligentia subiectos sibi populos rexit, vt omnes & eorum omnia, quasi res proprias curaret.

Prouinciæ sub eo cunctæ floruerunt: Quadruplatores, & Delatores sublati: proscriptio, & publicatio bonorum rarior, quàm vnquam antea fuit: adeo vt vnus tantum proscriberetur affectatæ tyrannidis reus, puniente Senatu: à quo inconiurationis conscios inquiri vetuit, filio eiusdem in omnibus benigne opem ferens. Perijt & Priscianus eiusdem criminis reus, sed morte voluntaria; de qua coniuratione quæri etiam vetuit. Victus illius talis fuit, vt inesset eidem opulentia sine reprehensione, parcimonia sine sordibus. Conuiuia cum amicis & priuata communicabat, & publica: frequentabat etiam

am ipſe amicorum ſuorum conuiuia. In edendis muneribus, & ſpectaculis erat magnificus. Piſcando ſe & venando multum oblectabat, & deambulatione cum amicis, & colloquio. Salaria multis ſubtraxit, quos otioſos ea videbat accipere, *Nihil eſſe* dicens *indignius, immo crudelius, quam ſi Remp. ij arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent.* Sed Rhetoribus, & Philoſophis per omnes prouincias & honores, & ſalaria detulit. Multa de Iure ſanxit: & rationes omnium Prouincialium apprime ſciebat, & vectigalium. Raras expeditiones obibat, dicens, grauem Prouincialibus eſſe Principis etiam parci comitatum. Multas ciuitates adiuuit pecunia, vt opera vel noua extruerent, vel vetera reſtituerent. Hæreditates eorum qui filios habebant, repudiauit. Vini, Olei, & Tritici penuriam, ærarij pecunijs eadem emendo, & populo gratis dando leuauit. Seditiones vbicunque factas non crudelitate, ſed moderatione & prudentia compreſſit: Omnium quæ geſſit, & in Senatu, & per edicta rationem red-

reddidit. Vrbanitatis illius hoc argumentum est, quod cum Apollonium, quem Chalcide acciverat, ad Tiberianam domum, in qua habitabat, vocasset, vt ei Marcum Antoninum traderet, atque ille dixisset, non Magistrum ad discipulum, sed discipulum ad Magistrum venire debuisse; derisit eum lepide dicens facilius fuit Apollonio Chalcide Romam venire, quam a domo sua in Palatium. Humanitas & pietas eius ex eo patet, quod cum Marcus mortuum educatorem suum fleret, eumq; Aulici ministri ab ostentatione pietatis avocarent, permittite, inquit, illi, vt homo sit: neque enim vel Philosophia, vel Imperium tollit affectus. Inter alia civilitatis, et mansuetudinis eius præcipuum argumentum est, quod cum domum Omuli cuiusdam visens ex eodem quæsisset, vnde columnas quasdam porphireticas haberet, et Omulus ei dixisset, cum in domum alienam veneris, et mutus, et surdus esto, id patienter tulit. Tantum authoritatis apud exteras gentes nemo vnquam habuit cum semper pacem coleret, adeo vt sæpe Scipionis hanc senten-

sententiam vsurparet: *Malle se vnum ciuem seruare, quam mille hostes occidere.* Atque ita orbem terræ per annos viginti tres authoritate sola rexit, adeo trementibus eum, atque amantibus cunctis Regibus, et Populis, vt Parentem, seu Patronum magis, quã Dominum Imperatorem vereputarent; omnesque vno ore in cœlestium morem propitium optantes de controversijs inter se iudicem eum poscerent. Interijt anno ætatis septuagesimo: sed quasi adolescens desideratus est; cum omnes eius ingenium, clementiam, pietatem, sanctimoniam laudarent. Decreti sunt ei omnes honores, qui optimis Principibus ante delati sunt.

DE

DE VITA ET virtutibus MARCI ANTONINI *Philosophi Imperatoris, ex* DIONE, IVLIO CAPITOLINO, VVLCATIO GALLICO, HERODIANO, & ÆLIO LAMPRIDIO excerpta, *& in ordinem digesta maxime memorabilia.*

MARCO ANTONINO AVRELIO, ANTONINI PIJ successori, in omni vita Philosophanti viro, & sanctitate vitæ omnibus Principibus antecellenti, multum ad virtutem contulit natura. Nam antequam cum Philosophis, & alijs literatis versatus fuisset, summo animi ardore

contendebat ad ſtudium virtutis & ita propinquis, ac cæteris, quibus erat notus, adhuc puer ſatisfaciebat, vt maximè charus omnibus eſſet. Atque ob eam cauſſam præſertim ab Hadriano adoptatus in familiam nihilo fuit inſolentior. In illius gremio educatus Veriſſimus ab illo nominatus fuit. Amabat pugilatum, luctamina, curſus, aucupium, & venationem; & pila apprime ludebat. Sed Philoſophia ſerium, & grauem eum reddidit, non tamen abolita in eo comitate, quâ præcipue amicis, atque etiam minus notis exhibebat; cum frugi eſſet ſine contumacia, verecundus ſine ignavia, ſine triſtitia grauis. Adoptatus in aulicam domum parentibus ſuis tantam reverentiam quantam priuatus exhibuit: eratque haud ſecus quam in priuata domo frugi ac diligens, pro arbitrio patris omnia agere, dicere, cogitare ſtudens. Quanquam autem breui in maximis honoribus ageret, & formandus ad regendum ſtatum Reip. patris actibus intereſſet,

esset, studia tamen cupidissime frequentabat. Existimationis suæ tãtam curam habuit, vt scire maxime studeret quid quisq; de se diceret, libenter, emendans quæ iure reprehensa viderentur. Atque etiam Procuratores suos vel puer semper monebat, ne quid arrogantius facerent: & hereditates sibi delatas aliquoties respuebat, iure proximis eas reddens. Ita vero per viginti tres annos in domo paterna versatus fuit, vt patris, & aliorum omnium in illum quotidie amor crescceret. Post excessũ Divi Pij a Senatu regimen publicũ capere coactus fratrem sibi socium in Imperio asciuit: quem Lucium Aureliũ Verum Commodum appellavit: actum primum duos Augustos habere cæpit Imperium Romanum, Marcus autem amore ciuium affectans, licet infirma valetudine, Reip. curandæ assiduam operam dabat, & delicias fratris, quamvis eas vehementer improbaret, patienter ferebat. Nec ob studium pacis belli curam negligebat.

Nam Parthico bello ingruente, omnia ad illud neceſſaria Romæ poſitus diſpoſuit, & ordinauit. Cum autem laboris amans eſſet, nihil dicere ſolebat, nihil ſcribere, aut facere negligenter, diuq; de negotijs conſultabat, afferens non decere Imperatorem propere quicquam agere. Multis Senatoribus etiam pauperibus ſed ſine crimine dignitates tribunitias, Ædilitiaſq; conceſſit: nec quenquam in Senatorium ordinem legit, niſi quem ipſe bene noſſet. Suffragatoribus vero non cito credebat: ſed diu verum ipſe inveſtigabat. Semper autem, cum potuit, interfuit Senatui; Comitijs etiam frequenter vſque ad noctem: neque vnquam receſſit è curia, niſi Conſul dixiſſet: nihil vos moror, Patres Conſc. Iudiciariæ rei ſingularem diligentiam adhibuit; & quoties bello non impediebatur jus reddere ſolebat. Cauit ſumptibus publicis, & calumnijs quadruplatorum ſiue delatorum interceſſit, appoſita

sita falsis delatoribus nota. Delationes quibus fiscus augebatur, auersatus est: & fisco in causis compendij, nunquam iudicans fauit. Habebat secum Præfectos Iuris peritos, quorum & authoritate, & periculo semper iura dictabat: Ius autem magis vetus restituit, quàm nouum fecit. Erat illi mos vt crimina minori supplicio, quàm legibus plecti solent, puniret, quamuis contra graiuum criminum manifeste reos inexorabilis permaneret. De alimentis publicis multa prudenter invenit. Italicis ciuitatibus famis tempore frumentum ex vrbe donauit, totiq; rei frumentariæ consuluit. In largitionibus parcissimus fuit, quod laudi potius illi quàm vitio vertendum est. Sed tamen & in bonos viros beneficia contulit, & oppidis labentibus opem tulit, & tributa vel vectigalia, vbi necessitas cogebat, remisit. Cum populo vero non aliter agebat, quam est actum in ciuitate libera. Fuit etiam per omnia

modestissimus in hominibus deterrendis à malo, ad bona inuitandis, remunerandis copia, indulgentia liberandis; fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos.

Moderatè cauillationes ferebat: & cum esset constans, erat etiam verecundus. Tantæ autem humanitatis erat, vt Lucij Veri vitia celaret, & excusaret, cum ei vehementissime displicerent. Humanitas etiam & clementia ipsius erga hostes, & perduelles admiranda fuit, præcipue erga Auidium Cassium, qui, susceptis Imperatorijs insignibus, bellum contra eum parabat. Cum autem non modo hęc Marci clementia, sed etiam insignis illius modestia & æquanimitas in concione quadam de Cassij rebellione ad exercitum manifeste eluceat, eam hic transcribere operæ pretium duxi.

Etsi huc veni (commilitones) non succensendi, aut lamentandi caussa (cur enim Deo succensere oportet, in cuius potestate sunt omnia) tamen eos qui immerito infelices sunt, aduersam fortunam

fortunam lamentari necesse est: quod mihi euenit hoc tempore. Quam enim graue est & molestum bella nobis ex bello existere? Quam porro calamitosum cum eo confligere, qui eiusdem gentis sis? Quam vero vtroq; grauius est atq; calamitosius fidem in hominibus nullam esse, fieriq; mihi insidias ab homine amicissimo, meq; inuitum, nulla facta iniuria, nulloq; commisso delicto, in certamen venire? Quae virtus vnquam tuta, aut quae amicitia firma existimabitur, si mihi haec facta est iniuria? Nomen fides, nomen spes omnis amissa est? Quod si meum tantum esset periculum, nihili certe facerem; nec enim natus sum immortalis. Nunc autem cum publica facta sit defectio, vel rebellio potius, bellumque ad nos omnes pariter pertineat, vellem, si fieri vllo modo posset, euocare Cassium, cum eoq; apud vos, aut apud Senatum iure contendere. Tum ego nullo prælio facto Imperium ei libenter cederem, si ita publicæ vtilitati conducere videretur. Etenim pro Rep. perpetuos labores sustineo, qui tandiu hic longe ab Italia commora-

tus sum, homo iam senex, & imbecillis, vt neq; cibum suauem, neque somnum vacuum curis possim capere. Sed quoniam Cassius nollet mecum in hac caussa conuenire (quo pacto enim mihi credat is, qui mihi tam infidus fuerit?) vos oportet, commilitones, forti animo esse. Nec enim Silices, Syrij, Iudæi, Ægyptij vobis fuerunt vnquam, aut erunt potiores: ne si quanto nunc pauciores sunt quàm vos, tanto plures congregentur. Sed neque Cassij ipsius, quanquam videtur optimus esse Imperator, multaq; prospere gessisse, ratio vlla haberi debet. Non enim, Aquila Gallulorum Dux, aut Leo Hinnulorum aptus esse ad bellum gerendum potest. Iam vero illud Parthicum & Arabicum bellum non Cassius, sed vos confecistis. Quod si ille præsertim ex rebus contra Parthos gestis habet gloriam, vos quoq; Verum habetis non inferiorem illo, sed multo etiam potiorem, à quo longe plura bello victa & parta sunt. Quinetiam iam illum pœnitere fortasse capit, quòd me viuere intelligit: nunquam enim id, nisi pro mortuo me habito, fecisset.

Qui

Quod si manet adhuc in proposito susceptoq; consilio, tamen cum profectionem nostram intellexerit, omnino resipiscet. Vos enim metuet: me reverebitur. Itaq; tantum illud vereor, commilitones, (licet enim apud vos verum dicere) ne aut ipse manus sibi afferat, quod pudore scilicet adductus non audebit in conspectum nostrum venire, aut alius cognito adventu meo, & quod contra illum proficiscar, id faciat. Mihi enim permagnum præmium belli atque victoriæ, quantum unquam accepit nemo, auferet. Quod vero præmium, dicet aliquis? Homini, qui iniuriâ mihi fecerit ignoscere, eiq; qui amicitiam, fidemque violauerit amicum, & fidelem permanere. Quæ etsi vobis fortasse videntur esse incredibilia, tamen ea vobis oportet persuaderi. Non enim bona omnia ex hominibus prorsus exterminata sunt: sed sunt adhuc apud nos antiquæ virtutis reliquiæ. Quod si quis mihi fidem non habeat, tanto cupio vehementius ea, quæ videntur fieri non posse, facta ante oculos omnium ponere. Hæc enim sola mihi ex malis præ-

sentibus foret vtilitas, si possem re optime confecta ostendere cum & his hominibus, nos quoq; bellis ciuilibus bene vti posse.

Brevi autem postea, cum caput Cassij a suis interfecti ad eum allatum fuisset, non exultavit, nec elatus est; sed potius doluit ereptam sibi esse clementiæ occasionem, dicens, *se vivum illum voluisse capi, vt illi exprobraret beneficia sua, ipsum q; servaret.* Et cum dixisset aliquis, *imprudenter eum facere, quòd tam mitis esset in hostem eiusq; liberos, & propinquos, reliquosq; coniurationis conscios*; et subiunxisset, *quid si vicisset Cassius?* respondisse fertur Marcus; *non sic Deos coluimus, nec sic viximus, vt ille nos vinceret.*

Enumeravit deinde Imperatores interemptos; *eos meritò sic periisse; nec quenquam facile bonum vel victum à rebellibus, vel occisum dicens: meruisse Neronem; debuisse Caligulam; Othonem, & Vitelium; hos etiam nec imperare voluisse: nam de Galba paria sentiebat, eum dicere in-*

in Imperatore tetrimum malum esse auaritiã? Deniq; non Augustum, non Traianum, non Hadrianum, non patrem suum à rebellibus potuisse superari; cum & multi fuerint, & Imperatoribus ipsis vel invitis, vel insciis extincti. In literis autem ad Faustinam vxorem sic scripsit. *Ego vero & Cassij liberis parcam, & genero, & vxori: & ad Senatum scribam, ne aut proscriptio gravior sit, aut pœna crudelior. Non enim quicquam est quod Imperatorem melius cõmendet gentibus, quam clementia: Hæc Cæsarem, hæc Augustum consecravit: hæc patrem tuum imprimis Pij nomine ornavit. Deniq; si ex mea sententia de bello iudicatum esset, nec Avidius esset occisus. Esto igitur secura: Dij metuentur. Dijs pietas mea cordi est.*

Ad Senatum vero inter alia:

Nemo Senatorum puniatur: nullius fundatur viri nobilis sanguis: deportati redeant: proscripti bona recipiant: vtinam possem multos etiam ab inferis excitare: Non enim vnquam placet in Imperatore vindicta

sui

sui doloris; quæ etsi iustior fuerit, acrior videtur. Quare filijs Avidij Cassij, & genero, & uxori veniam dabitis.

Hanc eius clementiam senatus his acclamationibus, inter multas alias, prosecutus est. *Antonine Pie, Dij te seruent: Antonine Clemens, Dij te seruent. Tumoluisti quod licebat; nos fecimus quod decebat.*

Pari etiam clementia vsus est Marcus erga omnes eos populos, qui ab ipso defecerant, & Cassium sequuti erant. Argumentum etiam est & illud illius humanitatis & clementiæ, quod Romæ spectabat gladiatores, tanquam athletas, sine periculo certantes: nec enim illis conceßit, vt ante amoris erat, acuto ferro, sed gladijs tantum obtusis & teretibus dimicare.

Cum autem res turbatas apud Marcomannos & Quados, ad quos armis compescendos vna cum fratre profectus erat, composuisset, in reditu frater cum eo in vehiculo sedens apoplexia correptus interijt.

Post

Post Veri obitum solus Imperium tenuit multò melior, & feracior ad virtutes: prouinciasque ingenti moderatione, ac benignitate tractauit.

Contra Germanos fes feliciter gessit. Iterum etiam præsens ipse bellum Marcomanicum, quantum vix illa vnquam memoria fuit, summa cùm virtute tùm etiam felicitate transegit. * Deuictis Marcomannis, cum Quadis etiam conflixit, & cœlesti ope victoriam est adeptus. Nam in eo prælio fulmen de cælo contra hostes, fuisque ardore ac siti laborantibus pluuiam impetrauit. Cum autem in hoc bellum totum ærarium exhausisset suum, neque in animum induceret, vt Prouincialibus aliquid extra ordinem imperaret, in foro Diui Traiani auctionem ornamentorum Imperialium fecit: venditque aurea pocula, & christallina, & murrhina, vasa etiam Regia, & vestem vxoriam sericam, & auratam, gemmas præterea, quas multas in reposto-

* *Ziphil. aliter quàm Dion, & Capitol, miraculum hoc ascribit legioni militum Christianorum quos precibus suis fulmen hoc & pluuiam à Deo impetrasse dicit, atque inde legionem fulminatricem appellatam.*

postorio sanctiore Adriani reperrerat, cum signis, & tabulis magnorum artificum: & per duos quidem menses hæc venditio celebrata est, tãtumq; auri redactum, vt reliquias belli Marcomannici ex sententia prosecutus postea potestatem dederit emptoribus, vt, si quis vellet, empta reddere, atq; aurum recipere, sciret licere. Nec molestus vlli fuit, qui vel non reddidit empta, vel reddidit. Magno labore suo gentes etiam alias aspertimas vicit. Atq; adeo temperans, & continens fuit in Imperio, vt cùm tot, tantaq; bella gereret, nihil contra quam fas esse putaret assentationis, aut timoris caussa faceret. Semper etiam cum optimatibus non solum bellicas res, sed etiam ciuiles, prius quam faceret aliquid, communicabat. Nam sententia illius præcipua hæc fuit.

AEquius est, vt ego tot ac talium amicorum consilium sequar, quam vt tot, & tales amici meam vnius voluntatem sequantur.

Adeo

Adeo vero ciuilem seſe, & commodum omnibus Principem præstabat, vt adeuntium cuiuis dextram placide daret, neminemque à suis custodibus prohiberi aditu pateretur.

Solus etiam Imperatorum sapientiæ studium non verbis, aut decretorum scientia, sed grauitate morum, vitæque continentia vsurpauit.

Atque ita re ipsa comprobauit sententiam illam Platonis, quæ sæpe illi in ore fuit, tum demum florere ciuitates, cùm aut Philosophi imperant, aut Imperantes Philosophantur. Quo factum est, vt magnum virorum sapientium prouentum ætas illa tulerit. Solent enim plerunque homines vitam Principum æmulari.

Faustinam vxorem habuit impudicam: quam cum nonnulli monerent repudiaret, si aliter illam punire nollet, dixisse fertur: si vxorem dimittimus, reddamus & dotem; ea autem erat Imperium, quod ille à Socero ex

Hadri-

Hadriani mandato acceperat.

Tantum sane valet boni Principis innocentia, sanctitas, pietas, vt eius famam nullius proximi decoloret inuidia. Vnde Marco, cum suos mores semper teneret, neq; alicuius insusurratione mutaretur, non obfuit vxor infamis, aut filius gladiator. Hunc & suis, & magnorum etiam atque optimorum virorum præceptis erudire conatus est. Sed disciplinarum magistri nihil ei profuerunt: tantum valet aut ingenij vis, aut eorum, qui in Aula institutores habentur. Filias porro, cum adoleuissent optimis ex ordine Senatorio viris collocauit. Neq; enim qui longam generis seriem præferrent, aut qui opes nimias ostentarent, sed qui morum probitate, atque modestia, vitæque innocentia præcellerent, eos sibi generos deligendos putabat. Hæc enim sola animi bona certa esse stabiliaque ducebat.

Virtutem ipse nullam non magnopere exercuit. Et quidem nihil

cum simulatè, sed omnia cum virtute egisse, perspicuum esse potest ex eo, quòd æquabilis in omni vita, atque idem semper fuit.

Constantiam vero illius atque animi tranquillitatem vel hoc arguit, qnod vultum nunquam mœrore, vel gaudio mutaret. Cum autem post insignè in Pannonia victoriam, decimùm Imperator appellatus fuisset, cum non ætate solum, sed laboribus multis curisque confectum, grauissimus repente morbus perculit. Quare, cum deploratam plane salutem suam sentiret, ad amicos & propinquos omnes, quotquot aderant, conuocatos, filio præsente, huiuscemodi habuit orationem.

Dolere vos atq; angi, cum ita me affectum contemplamini, minime mirandum: quippe humanum est humanis casibus ingemiscere; multoque magis misericordiam prouocant quæ oculis vsurpamus. Cæterum peculiaris vobiscum nostra ratio est. Nam de mei ergo vos animi constan-

tia

tia mutuum spero à vobis quasi meo iure benevolentiam. Nunc autem illud incidit, cum & mihi sit iudicium faciendum, frustra me vobis honorem tamdiu habuerim, studiumque omne meum lubens detulerim; & vobis referenda gratia ostendendum, non esse eorum quæ acceperitis immemores. Videtis filium quem ipsimet educastis, primas nunc adolescentiæ metas ingredientem, quasique in salo, atq; in fluctu vitæ gubernatoribus indigentem, ne rerum imperitia de recto quasi cursu ablatus malis artibus impingat. Esse igitur vos illi pro me vno multi parentes, exolendo scilicet, atq; optima suggerendo. Neq; enim aut pecuniæ vis tyrannidis luxuriam explere, aut stipantia satellitum agmina tueri Principem possunt, nisi illi ipsi quos regat animum imperanti benevolentiamq; accommodent. Quippe ÿ demum diu, tutoq; imperant, qui non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate ciuium suorum animis instillant. Neq; enim quos seruire necessitas coegit, sed quos obtemperare sua quemq; voluntas adegit, ÿ sunt in agendo,

gendo, patiendoq; à ſuſpicione omni, aſſentationeq; vacui: nunquamq; imperia detractant, niſi violenter contumelioſéque habiti. Eſt autem difficile in maxima licentia moderari ſibi, quaſique frænos imponere cupiditatibus. Quod ſi bene viuendi illi authores fueritis, & quæ nunc coram audistis identidem admonueritis, vna opera & ipſum vobis, reliquiſque omnibus optimum Principem reddetis, & memoriam noſtram demerebimini: quàm ſcilicet immortalem hac vna ratione poteritis efficere.

Talia dicentem ita repente animus cum voce defecit, vt mox vltimum vitæ diem clauſerit omniũ hominum, qui vnquam Principatum tenuerunt, optimus, maximo cum gemitu mortalium omnium 18. Imperij, & 61. vitæ anno: cum in amore omnium imperaſſet, atque ab alijs modo pater, modo frater, modo filius, vt cuiuſq; ætas ferebat, & diceretur & amaretur. Et qui ſeiuncti in alijs patres, ac plebs ſoli omnia decreuere, templa, columnas, ſacerdotes.

FINIS.

70. C. 21.

CORONA VIRTVTVM PRINCIPE DIGNARVM,

Ex varijs Philosophorum, Historicorum, Oratorum, & Poetarum floribus contexta, & concinnata,

In vsum D. CAROLI *Magnæ Britanniæ, & Hiberniæ Principis Illustrissimi, Cornubiæ, Eboraci, & Albaniæ Ducis.*

Cui adiuncta sunt de vita, & virtutibus duorum ANTONINORVM, PII, & MARCI maximè memorabilia è varijs historicis excerpta.

Svenfred. Macsfred. Ao. 1614. 3 July

LONDINI,
Apud *Ioannem Billium.* 1617.

Demetr. Philo in Sen. 7. de Benef.

Plus proderit, ſit panca præcepta ſapientiæ teneas, ſed illa in promptu tibi, & in vſu ſint, quam ſi multa quidem didiceris; ſed illa non habeas ad manum.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI.

MVLTA in te, Princeps Illustrissime, excelsæ ac præclaræ indolis indicia lubens & gratulabundus agnosco: ingenium præstans, generosum animum, candorem & benignitatem vel in ipso tuo vultu elucentem. Sed quæcunque adhuc in te laudari possunt virtutum igniculi aut semina potius, quàm virtutes existimentur. Nam ipsæ vt in te floreant, fructusq; suos proferant, matureſcente ibi cum ætate iudicio, & diligenti animi cultura cum gratia cœlesti coniuncta opus est. Neque vero desunt,

qui eundem diligenter excolant. Nam præter eos, quorum fidei ac prudentiæ educandi & instituendi tui cura demandata est (qui summa cum laude suo munere funguntur) Patris tui Sereniſſimi tam voce quàm scripto te monita erudiunt: præsertim verè aureus ille liber de Regno, tanto Rege authore dignus: qui quanti passim ab omnibus fiat, eiusdem in plures linguas versio, & frequens editio satis superque testatur.

Post illum ego si tibi in hoc genere meum aliquid offerrem, ne & impudens & imprudens optimè actũ agerem pessimè, meq; cunctis meritò deridendum propinarem.

Cæterùm cum ad virtutem in te promouendam operam

peram quoque meam conferre cupiam, nec de meo quicquam te dignum mihi ſuppetat, virtutum Principe dignarum coronam, è varijs optimorum authorum floribus in vſum tuum contextam & concinnatam tibi offero.

Cui maximè memorabilia de vita & moribus duorum Principum (quorum alter alteri, vt in Imperio, ſic in omni virtutum genere ſucceſſit) attexere viſum eſt operæpretium; vt vnà & monitis, & exemplis erudiri poſſis.

E ſacris literis, & Patrum ſcriptis quæ huc faciunt Theologis excerpenda relinquo; cum ipſe ſacra illotis (quod aiunt) manibus attingere non auſum.

Quod ſi virtutem Principi

tantopere commendent tam ſententijs ſuis authores hic citati, quàm exemplo Principes à me commemorati, vtrique fere omnes non niſi naturæ ac rationis lumine illuſtrati, quanto ſtudio Princeps, cui Religionis etiam Chriſtianæ lux affulſit, virtutem par eſt amplectatur? Vnde operam hãc meam tibi ad virtutem incitamento aliqua ex parte futuram ſpero. Hanc vero, & quamuis aliam grati animi ſignificationem debere me profiteor cùm Patris tui ſereniſſimi in me fauori, ac de me iudicio (qui octodecim abhinc annis me in familiam Aulicam admiſſum, & benigne ſubleuatum poſtea & Illuſtriſſimo tuo fratri felicis memoriæ, & tibi ipſi in ſtudijs aliquam

operam

operam nauare voluit) tum etiam tuæ in me ab infantia tua perpetuæ benignitati. Si opella hæc mea ad animi tui cultum vsui tibi fuerit, & tibi, & Reip. magnopere gratulabor. Faxit Deus vt votis meis succeſſus reſpondeat, & vt virtute, ac felicitate Principum optimo & feliciſſimo cuique par euadas.

Celſitudini tuæ,

AEternùm deuinctus ac deuotus famulus, & cliens.

GVALTERVS QVINNVS.

Eidem Illustrissimo Principi.

FLoribus è varijs, en, hæc tibi texta corolla est,
CAROLE, Regnorum spesq; decusq; trium.
Hac redimitus eris virtutum insignis honore;
Quæ cumulent varijs teque, tuosq; bonis.
Teque hæc si decoret nunc æui in flore corona;
Regali ornabit Laurea iuncta virum.

ERunt fortaſsis qui ſuper-vacuam operam hanc meam, poſt illud à IVSTO LIPSIO *in hoc ipſo genere ingenio, iudicio, & doctrina ſingulari Politicorum elaboratum opus, exiſtimabunt. Nam & illum dicent de virtute Principis egiſſe. Egiſſe quidem agnoſco, ſed vt de vna tantum parte Politicorum: ac proinde viſum illi ſatis, ſi pauca tantum libaret ex varijs authoribus, quæ virtutem Principi commendarent. Cum autem quod illi perexigua pars argumenti*

ti fuerit totum mihi sit, danda fuit opera, vt vberius, ac pleniori (quod aiunt) manu flores hinc, inde legerem in vsum Principis nostri virtutum documentis diligentius erudiendi. Quid hac in re præstiterim, aliorum esto iudicium. Quòd autem non de virtute tantum, sed etiam de vitio in genere egerim, cum de singulis tãtum virtutibus, non de vitijs seorsim agam, ratio est, quod materiam ad prius illud vtcúnque præstandum authores mihi suppeditauerint, ad posterius hoc non item. Nec etiam appositè, aut concinne de singulis virtutibus agere potui, quin &

con-

coniunctim cum illis de vitijs mihi fuerit agendū. De meo nihil nisi connexiones, tanquam Cæmentum quoddam, ad vinciendas inter se Authorum sententias adhibui, eaſq; quàm potui parciſſimè, operam dans vbicunq; commodè licuit, vt id Authores ipsi facerent. Græcorum sententias duntaxat latine redditas latinis attexui; cum & breuitati ſtuderem, & ad eum quem propoſui mihi finem id ſufficeret. Is autem non alius eſt, quàm Principis noſtri, in eoq; Reip. bonum: quod vtriq; mecum à Deo precatus, Vale.

Coronæ huius Capita.

DE virtute in genere. Pag. 1.
De Vitio in genere. p. 16.
De Religione. p. 32.
De Prudentia. p. 38.
De Iuſtitia. p. 64.
De Clementia. p. 76.
De Fide. p. 89.
De Modeſtia. p. 96.
De Liberalitate. p. 107.
De Temperantia. p. 115.
De Fortitudine. p. 126.

CORONA VIRTVTVM PRINCIPE DIGNARVM.

De Virtute in genere.

PRincipem, qui, quo alijs maior est, eò melior esse debet, ad virtutem amplectendã merito inuitent cùm virtutis ipsius præstantia & pulchritudo, tum etiam felicitas illi, ac subditis ei populis inde proueniens.

Quod ad præstantiam virtutis attinet: Virtus est proprium hominis bonum. *Tac. 4. hist.*

Sen. ep. 71. *Immo vero &* vnum bonum est virtus: nullum certe sine virtute: & ipsa virtus in parte nostri meliori, id est rationali, posita est.

Idem ep. 76. *Vnde* validiorem animum, & excelsiorem, & ampliorem facit virtus.

Auth. ad Heren. Solaq; virtus in sua potestate est: omnia præter eam subiecta fortunæ dominanti.

Salust. Catil. *Etiam* diuitiarum & formæ gloria fluxa, atque fragilis est: virtus clara æternaque habetur.

Plaut. Amphit. *Quamobrem* virtus omnibus rebus anteit profecto.

Cic. de Amic. *Pulchritudo etiam virtutis ex eo patet, quod* virtute nihil amabilius sit; nihil quòd magis alliciat homines ad diligendum; quippe cum propter virtutem, & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.

Sen. 4. de Benefic. *Quinetiam* placet suapte natura, adeoque gratiosa virtus est, vt insitum etiam sit malis probare meliora.

Merito igitur

Horat. 3. car. od. 2. Virtus repulsæ nescia sordidæ
Intaminatis fulget honoribus.

Ad

Ad felicitatem Principis ipsius quod attinet.

Omnia adsunt bona, quem penes est virtus. *Plaut. Amphit.*

Si diuitias spectet; quanti est æstimanda virtus, quæ nec eripi, nec surripi potest, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempestatum, nec temporum permutatione mutatur, qua prædíti qui sunt soli sunt diuites: soli enim possident res & fructuosas, & sempiternas. *Cic. Parad. vlt.*

Si delectationem & tranquillitatem animi; maior est virtutis iucunditas, quàm voluptas, quæ percipitur ex libidine & cupiditate. *Cic. 3. off. in Ver.*

Sola enim virtus præstat gaudium perpetuum, & securum. *Sen. ep. 27.*

——— Semita certe
Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ. *Iuuen. Sat. 10.*

Si decus, & gloriam; gloria virtutem tanquam vmbra sequitur. *Cic. 1. Tusc.*

———Et famam extendere factis
Hoc virtutis opus. *Virg. 10. Aeneid.*

Si bonorum externorum affluentiam: quæ homines arant, nauigant, ædificant virtuti omnia parent. *Salust. Catil.*

Cic. de Amic. *Deniq;* si quod optimum maximumq; est id volumus adipisci, virtuti opera danda est, sine qua nullam rem expetendam consequi possumus

Subditorum etiam causa virtus est Principi amplectenda.

Seneca 2. de Clem. Nam a capite bona valetudo. Inde omnia vegeta sunt, atque erecta, aut languore demissa.

Xenoph. in memorab. Socr. *Ideo* Rex eligitur, non vt sese molliter curet, sed vt per ipsum ij qui elegerunt bene beateq; agant.

Cic. de Rep. *Et* moderatori Reip. beata ciuium vita proposita est, vt ea opibus firma, copijs locuples, gloria ampla, virtute honesta sit.

Plin. Paneg. *Hinc Traianus*, non aliter pro se vota publica susc ipi voluit, quam si bene Remp. & ex vtilitate omnium rexisset.

Spart. in Hadr. *Et eiusdem successor* Hadrianus in concione & senatu sæpe dixit, ita se Remp. gesturum, vt sciret populi rem esse, non propriam.

Sen. Consol. ad Polyb. *Talem se reipsa præstat bonus princeps.*

Omnium *enim* somnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor,

labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.

Illius *verò* Principis magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe quam pro ſe ſciunt. *Ibidem.*

Quocirca

Tu ciuem, patremq; geras: tu conſule cunctis, *Claud. 4. Conſul. Honor.*
Non tibi: nec tua te moueant ſed publica vota.

Exemplo etiam ſuis Princeps præeat.

Nec enim tam imperio ſubditis opus, quàm exemplo. *Plin. Paneg.*

Nam quales in Repub. Principes ſunt, tales reliqui ſolent eſſe ciues. *Cic. epiſt 3. ad Lent.*

Etiam obſequium in Principem, & æmulandi amor validiora quàm pœna ex legibus, aut metus. *Tacit. annal.*

Et rectè facere Princeps ſuos faciendo docet. *Vell. lib. 2.*

Siquidem flexibiles quamcunque in partem ducimur à Principe, atque (vt ita dicam) ſequaces ſumus. Huic enim cari, huic probati eſſe cupimus, quod fruſtra ſperauerint diſſimiles; eoque obſequij continuatione peruenimus, vt prope omnes homines vnius moribus viuamus. Porro non *Plin. Paneg.*

tam siniſtrè conſtitutum eſt, vt qui malum Principem poſſumus, bonum non poſſimus imitari.

Itaque

Senec. Thyeſt. Rex velit honeſta: nemo non eadem volet.

Et

——Componitur orbis

Claud. 5. Conſul. Honor. Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis.

IAm monendus eſt Princeps de ijs quæ virtuti inſerendæ, & augendæ inſeruiunt: cuiuſmodi eſt primum recta educatio.

Sen de Mor. *Nam* educatio, & diſciplina mores facit, & id ſapit vnuſquiſq; quod didicit.

Senec. 2. de Ira. Educatio *verò* maximam diligentiam, plurimumque profuturam deſiderat: facile eſt *enim* teneros adhuc animos componere: difficulter reciduntur vitia, quæ nobiſcum creuerunt.

Plutar. in Moral. *Nam* vt terra, quò melior eſt natura, hoc magis corrumpitur, ſi negligatur: ita ingenia, niſi rectè excolantur,

lantur, quò sunt feliciora, eò pluribus vitijs obducuntur.

Itaque vt Agricolæ vallos apponunt arbusculis, quo recte crescant: ita qui instituit addat monita, & præcepta ingenijs salubria, ne deflectant, in vitium. *Ibidem.*

Facile *enim* tenera conciliantur ingenia ad honesti, rectiq; amorem. *Sen ep. 90.*

Generosa *vero* indoles, si accedat institutio, magno bono est patriæ: sin ad vitium degeneret, magnum adfert malum. *Plutar. in Themistoc.*

Et sane studia quæ sunt in adolescentia, tanquam in herbis significant quæ virtutis maturitas, & quænam fruges industriæ sint futuræ. *Cic. pro Cælio.*

Nam in optimis quoque, antequam erudias, virtutis materia, non virtus est. *Sen. ep. 90.*

Doctrina sed vim promouet insitã, *Horat 4. Car. Od. 4.*
Rectiq; cultus pectora roborant.

Ergo

——Nunc adhibe puro *Horat. 1. ep. 2.*
Pectore verba, puer, nunc te melioribus offer.
Quo semel est imbuta recens seruabit odorem
Testa diu.

Pers. Sat. 3. Vdum & molle lutum es; nunc, nunc properandus, & acri fingendus sine fine rota.

Virtutem etiam in adolescente promouet labor & diligentia.

Sen. de vita Beata. Nulla est enim sine labore virtus.

Cic. de Amic. Nam si laborem fugimus, virtus fugienda est, quæ necesse est vt cum aliquo labore res sibi contrarias aspernetur & oderit; vt bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignauiam fortitudo.

Cato Maior apud Gell. l. 6. Sed cogitate cum animis vestris: si quid vos per laborem recte feceritis, labor ille cito recedet à vobis, benefactum à vobis dum viuitis non recedet. At si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit.

Lu. lib. 4. *Etiam* labor & voluptas dissimillima natura, societate quadam naturali inter se iunguntur.

Sen. epist. 31. *Et* generosos animos labor nutrit.

Hinc

Lucan. lib. 9. Lętius est, magno quoties sibi constat, honestum.

Itaque

Qui

Qui cupit optatam curſu contingere metam, *Horat.*
Multa tulit, fecitque puer, ſudauit, & alſit.

Et qui è nuce nucleos eſſe vult, frangit nucem. *Plaut. Curcul.*

Nam nil ſine magno *Horat. 1. Sat. 9.*
Vita labore dedit mortalibus.
Nec eſt ad aſtra mollis è terris via. *Senec. Here. Fur.*

Et

Virtutem voluere dij ſudore parari: *Lucil. & Heſiod. apud Stob.*
Arduus eſt ad eam longuſque per ardua tractus;
Aſper & eſt primùm: ſed vbi alta cacumina tanges,
Fit facilis quæ dura prius fuit inclita virtus.

Quamuis autem difficilia quæ pulchra. *Adag.*

Attamen volenti nil difficile.

Et ſane facilis eſt ad beatam vitam via: inite modo bonis auſpicijs, ipſis dijs bene iuuantibus. Multo difficilius eſt facere quæ facitis. Quid enim quiete otioſius animi? quid ira laborioſius? quid clementia remiſſius? quid crudelitate negotioſius? Vacat pudicitia: libido occupatiſſima eſt. *Adag. Senec. 2. de Ira.*

Omnium denique virtutum tutela facilior est: vitia magno coluntur.

Consuetudo autem recte agendi laborem minuit, & virtutem auget.

Liu. 35. Consuetudine leuior labor fit.

Cic. 2. Tusc. *Et* ferre laborem, contemnere vulnus consuetudo docet.

Petron. Sat. *Etiam* potest bouem ferre, qui vitulum sustulerit.

Cic. Offic. Nil *vero* magna laude dignum sine vsu exercitare, & sine experientia perficere possumus.

Curt. 6. Feritatem *etiam* mitior consuetudo permulcet.

Salust. Iugurt Et illi qui omnem ætatem in optimis artibus egit, benefacere ex consuetudine in naturam vertit.

Pacat Paneg. ad Theodos. Gaudent diuina perpetuo motu, & iugi agitatione se vegetat animus.

Cic. 2. Offic. Virtutis enim laus omnis in actione consistit.

Sen. ep. 94. *Et* pars virtutis disciplina constat; pars exercitatione. Et discas oportet, & quod didicisti agendo confirmes.

Idem ep. 90. *Nam* virtus non contingit nisi animo instituto, & edocto, & ad summum assidua exercitatione perducto.

Nil

——Nil consuetudine maius;
Quam tu dum capias, tædia nulla fuge. *Ouid. Art. 2.*

——Primò taurus detrectat aratra;
Post venit assueto mollis ad arua iugo. *Propert. 2. Eleg. 3.*

——Adeo à teneris assuescere multum est. *Virgil. 2. Georg.*

Ergo quod male fers, assuesce, feres. *Ouid. 2. Art*
——Nam morem fecerit vsus. *Idem. Met. 2.*

AD virtutem etiam augendam, & conseruandam multum facit bonorum societas & conuersatio.

Nam nulla res magis animis honesta induit, dubiosq; & in prauum inclinabiles reuocat ad rectum, quam bonorum virorum conuersatio. Paulatim enim descendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, adspici frequenter. *Sen. ep. 94.*

Et si quid in aliquibus ex sordida conuersatione seruile est, bonorum conuictus excutiet. *Idem ep. 35.*

Vt *autem* in pestilentia cauendum est, ne corruptis iam corporibus & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipso *Idem de Tranquil.*

ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingenijs, dabimus operam, vt quàm minime inquinatos assumamus.

Idem 3. de Ira. *Enim vero* non tam valetudini profuit vtilis regio, & salubrius cœlum, quàm animis parum firmis in turba meliorum versari.

Ergo

Inuen Sat 2. Aspice quid faciant commercia.

Et cum his versare, qui te meliorem facturi sunt.

Senec. ep. 7.

Cic. 3. Act. in Ver. Nec ad amicitiam tuam faciliorem aditum habeat nequitia, & audacia, quam virtus, & integritas.

Comin. c. 33. Nullum autem maius indicium bonæ mentis Princeps potest ostendere quàm vt adiungat sibi viros virtute, & fama celebres, ijsque familiariter vtatur. Nam omnes statim indicabunt eum talem esse, quales ij qui apud illum.

Alit quoq; virtutem in animo generoso amor laudis, & gloriæ.

Cic. pro Arch. Poet. Trahimur *enim* omnes laudis studio; & optimus quisq; maxime gloria ducitur.

Val. Max. 2. cap. 6. *Et sane*, virtutis vberrimum alimentum est honos.

Nam

Nam vbi gloriam dempſeris, ipſa per ſe virtus amara atque aſpera eſt. *Salluſt. ad Caſ.*

Et contemptu famæ contemnuntur virtutes. *Tacit. 4. Annal.*

Recte igitur dicebat Cato, eos à iuuentute virtutem auferre, qui virtutem honore fraudarent. *Apud Plut. in Apoph.*

Etiam pueri afficiuntur lætitia, cum vicerint. Vt pudet victos? vt ſe accuſari nolunt? quàm cupiunt laudari? Quos illi labores non perferunt, vt æqualium principes ſint? *Cic. 3. de Fin.*

Themiſtocli *vero*, quem Miltiadis trophæum non patiebatur (vt ipſe dicebat) aut dormire, aut ceſſare, gloriæ ſtudium excuſſit amorem voluptatum, clauum (vt aiunt) clauo. *Plutarch. in Apoph.*

Et Scipio Africanus Socraticum Xenophontem in manibus ſemper habebat; cuius in primis laudabat illud, quod diceret eoſdem labores non æquè eſſe graues Imperatori, & militi; quòd ipſe honos laborem Imperatorum faceret leuiorem. *Cic. 2. Tuſc.*

Arripuit, traxitque virum, fax mentis honeſtæ,
Gloria, *Sil. Ital. 6.*

lau-

Ouid.2.de pont.

——Laudataque virtus
Creſcit; & immenſum gloria calcar habet.

Propert.l.2.

Magnum iter aſcendo: ſed dat mihi gloria vires:
Non iuuat ex facili lecta corona iugo.

AD virtutem etiam excitatur Princeps virorum illuſtrium, maiorum præcipue ſuorum exemplis.

Senec.ep.6.

Nam longum iter eſt per præcepta: breue, & efficax per exempla

Plutarch.in Timol.

Igitur tanquam in ſpeculo orna, & compone vitam tuam ad alienas virtutes.

Val.Max.l.2

Maiores natu in conuiuijs ad tibias egregia ſuperiorum opera carmine comprehenſo pangebant, quò ad ea imitanda virtutem iuuenum alacriorem redderent.

Cic.pro Rab.

Hoc *autem* generi hominum propè à natura datum eſt, vt qua in familia laus aliqua floruerit, hanc fere qui ſunt eius ſtirpis cupidiſſime proſequantur.

Plin.l.vn. in Soſip.4.

Honeſtiſſimum enim eſt maiorum veſtigia

vestigia sequi, si modo recto itinere præcesserint.

Hinc Aeneas Ascanium suum sic hortatur.

Disce, puer, virtutem ex me, verumq; laborem. *Virg. 2. Aeneid.*

Et alibi:

Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles
Et pater Æneas, & auunculus excitat Hector? *Idem, 3. Aen.*

DE